PONTIFICIUM INTERNATIONALE COLLEGIUM

"ANGELICUM" de URBE.

- - - - -

Facultas Juris Canonici

- - - -

P. EM. SUAREZ, O. P.

- - - W. D. Dooley, O. P.

Commentarium

IN LIBRUM I CODICIS JURIS CANONICI

(Ad usum privatum auditorum)

W. D. Dooley O.P.

Romae

1928.

W. D. Dooley, O. P.

MONITUM.

Duplex me coegit causa ut alumnis haec lithographica folia traderem: nimia defatigatio auditorum si, quid quid professor tradiderit, ad-notare teneantur; difficultas pro ipsomet professore, si nimis lente debeat canones percurrere et materiam exponere, ut alumni notulas conscribere valeant (memoria enim valde labilis est, ut ipsi tantum cuncta fidantur). Si vero quaedam fundamentalia ab auditoribus prae oculis habeantur, facilius cetera percipiunt, et professor velocius exponere potest, sicque totam percurrere materiam pro anno scholari assignatam. Haec igitur folia in scholis adjuvabunt, nequaquam tamen ipsas scholas supplere in omnibus possunt.

LIBER PRIMUS

NORMAE GENERALES

1. DE TITULO PRIMI LIBRI - Libro primo praefigitur titulus NORMAE GENERALES, quia in ipso traduntur revera generales regulae applicandae tam in reliquis Codicis partibus, quam in quotidianis usibus, applicationibus, etc. legum Ecclesiae disciplinarium. Omnes Codices tradere solent normas iuxta quas interpretari oportet regulas, leges in iisdem contentas, et alias in posterum orituras. Et merito quidem, quia ita et pro posse confusio vitatur, et tempus parcatur, dum semel pro semper vim vocabulorum intelligimus, quin singulis in casibus seu legibus expendatur.

2. CANONES PRAELIMINARES - In sex prioribus canonibus determinantur, et subiectum passivum Codicis, et huius vis relate ad ius tempore suae promulgationis vigens. Et optime sane, nam ante omnia oportet determinare ad quos lex extendatur; et deinde accurate perpendere novae legis relationes cum aliis legibus seu normis quibuslibet tunc temporis vigentibus. Quod postremum, etsi aliter fieri posset, ex.gr. per legem specialem, veterum et novae relationes innuentem, opportune tamen Legislator noster in ipso Codice hoc statuit, ut perpetuo prae oculis haberetur, si quidem valde momentosum in iure disciplinare fuit transitus veteris ad Codicis legislationem, et per plures annos in praxi haud obliviscendum.

CANON 1.

1. MATERIA HUIUS CANONIS. - Codex directe et per se unam respicit Latinam Ecclesiam, ita propter linguam in sacra liturgia usitatam, dictam, et quia antiquitus partes latinas seu occidentales occupabat. Ecclesiam vero Orientalem tantum afficit cum expresse dicitur, aut de iis agitur quae ex ipsa rei natura eosdem obligant.

W. D. Dooley, C.

prout infra dicetur. Hoc enim est quod in primo canone statuitur.

2. DE ECCLESIA ORIENTALI: NOTAE HISTORICAE. Hac occasione, aliquid oportet dicere de Ecclesia Orientali, et de diversis eiusdem ritibus, seu ecclesiis sub illo generali nomine contentis, relate praesertim ad ius disciplinare.

Ecclesia Orientalis nomen accepit a divisione facta in Romanorum Imperio a Diocletiano (284-305). Omnes Imperii provincias divisit in quatuor praefecturas, ex quibus duae in Oriente, duae vero in Occidente inveniebantur; postea inde initium sumpsit Imperii pars Orientalis et pars Occidentalis, quibus proprium Caput praeficiebatur.

Sicut in civilibus et politicis, ita pariter in religiosis negotiis quaedam separatio et independentia inducta fuit, ita ut Orientales, saeculo quinto mediante, quatuor Patriarchatus, pro suis regendis negotiis haberent: Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum et Jerosolimitanum. Tamen, agnoscebant Ecclesiae romanae supremationem, nec ab ipsa omnino independentes inveniebantur.

Eodem saeculo quinto schisma introductum est in ipsis Orientalibus Ecclesiis, opera Nestorii et Monophysitarum; pariter, saeculo nono opera Michaelis Caerularii; et saeculo undecimo, Photio interveniente. Aliquando omnes Ecclesiae Orientales ab unitate cum Romana Ecclesia defecerunt. Plures adhuc sunt qui communionem cum Ecclesia Romana non habent, et primatum R. Pontificis respuunt. Huiusmodi Ecclesiae Orientales vocantur orthodoxae, ex nomine ab ipsis assumpto, omnesque simul dicuntur E c c l e s i a o r t h o d o x a, quamvis revera sint e t e r o d o x a e (1). De hac o r t h o d o x a Ecclesia impresentiorum sermo non fit. Aliae vero plures Orientales Ecclesiae ad unitatem catholicam redierunt, et hae dicuntur Ecclesiae

1) Non in multis quidem discrepant ab Ecclesia catholica. Qui doctrinas dissidentium orientalium cognoscere velit, adeat opus theologi episcopaliani Gavin: "Some Aspects of contemporary Greek Orthodox Thought". Et brevius Postius: "El Còdigo Canònico ....", ed. 5, n. 409

u n i t a e, et etiam c a t h o l i c a e; et de his sermo est, dum Codex loquitur de Ecclesia et ritibus Orientalibus.

Porro, pro negotiis Ecclesiae unitae Orientalis, olim Sectio specialis inveniebatur in S. Congregatione de Propaganda Fide. Benedictus vero XV, die 1 Maii 1917, specialem Congregationem instituit, quae negotia Orientalis Ecclesiae dirigit, salva tamen S. Officii competentia.

Ipsa vero Ecclesia Orientalis in quatuor dividitur ritus, ita ut alii ab aliis in rebus disciplinaribus et liturgicis valde inter se differant (1); constat enim ritibus graeco, armeno, syriaco et copto. Hi quatuor in plures alios adhuc subdividuntur. "Graecus autem subdividitur in graecum purum, rumenum, ruthenum, bulgaricum, Melchitarum et georgianum; syriacus in syriacum purum, Maronitarum, Chaldaicum et malabaricum; coptus in aethiopicum et aegyptiacum". (Cappello, in cit. art.).

Catholici Ecclesiae Orientalis, non amplius exclusive partes Orientis incolunt, sed totum fere mundum pervaserunt; ideoque dicuntur orientales hodie ex ritu, minime vero ex loco seu regione. Status Ecclesiae Orientalis, prout exponitur in "Annuario Pontificio", anno 1924, pag. 801-3, hic est: Ritus a r m e n u s: In Polonia-Galizia (arch. 1), in Russia (ep. 1), apud Turcas (patr. 1, arch. 4, ep. 11), in Persida (ep. 1), Alexandria in Aegypto (ep. 1). C o p t u s p u r u s s e u a e g y p t i a c u s : In Aegypto (patr. 1, ep. 2). - C o p t u s a e t h i o p i c u s, seu a b y s s i n u s : In Africa centrali: propria hierarchia carent, et reguntur a Vicario Apostolico latino Abyssinia degente. - G r a e c u s p u r u s , habet communitatem Constantinopoli, cum dioecesibus Hajdu-Dorogh in Hungaria et Lungro in Italia; omnibus his fidelibus praeest unicus episcopus. - G r a e c u s r u m e n u s : in Rumania (arch. 1, ep. 3). - G r a e c u s r u t e n u s; in Czecoslovachia (ep. 2); Polo

---

1) Omnes sciunt inter ipsos catholicos ritus Orientales magnas adesse differentia, in re disciplinari et communiter ab auctoribus innuitur arrepta occasione; ideoque non valde refert quod adeo instan-

nia=Galizia (arch. 1, ep. 6); Serbia aut Jugoslavia (ep. 1; etiam habetur ep. ruthenorum in Canada et St. Foed. Amer. Sept.). = G r a e c u s m e l c h i t a: In Asia (patr. 1, arch. 6, ep. 3); G r a e c u s b u l g a r i c u s: In Turq.Europ. (Arch.tit. pro Constantinopolitanis, Vic. Ap. pro Macedonia et Thracia). S y r i a c u s p u r u s: In Asia (patr. 1, arch. 5, ep. 4); S y r i a c u s C h a l d a i c u s: In Asia (patr. 1, arch. 2, ep. 10). S y r u s M a r o n i t a r u m: In Asia; (patr. 1, arch. 7, ep. 2). S y r o = m a l a b a r i c u s: In Asia (ep. 4). (cfr. Capello, art. cit; Cicognani: "Commentarium ad Libra I Codicis", ad can. 1; Ojetti: "Commentarium in Codicem Juris Canonici", can. 1; Toso: "Commentarium, can. 1, etc.)

3. = DE DISCIPLINA ECCLESIAE ORIENTALIS = Ab antiquis temporibus Ecclesia Orientalis propriis legibus disciplinaribus, propriisque ritibus in sacra liturgia usa est, variis quidem etiam inter se, iuxta diversas ecclesias seu ritus. Nec latina, sed propria utebantur atque utuntur lingua in sacris peragendis ac in liturgia. Romani Pontifices hoc libenter permiserunt, quia non multum quidem interest, salva tamen semper fidei unitate, atque incolume honestate morum. Labentibus saeculis quando schismaticae divisiones in Orientalibus Ecclesiis ortae sunt, R. Pontifices solertem curam adhibuerunt ne fideles orientales in proprio ritu disturbarentur; secus, ex inveteratis consuetudinibus in populo servatis, et fidelium perseverantia periclutaretur, et dissidentium optata cum catholicis unitas difficilior rederetur. Hunc morem usque in hodiernum diem Romana Ecclesia servavit, magnaque cum veneratione ritus quoslibet catholicos orientales prosequitur

P r a e c i p u i f o n t e s disciplinae Ecclesia Orientalis sunt octo priora Oecumenica Consilia, nonnullae synodi aliquarum ecclesiarum, et dispositiones quaedam ab Apostolica Sede pro Orientalibus specialiter latae. Pro fidelibus ritus graeci, fons praecipuus fuit Concilium Trullanum seu Quinisextum (Capello, art.cit.)

---

ter monet Cappello in labore de cetero utilissimo: "Jus Ecclesiae latinae cum Jure Ecclesiae orientalis comparatum", in Ephem. "Jus Pontificium" 1927, fasc. II=III.

I n t e r d o c u m e n t a p o n t i f i c i a pro ipsis memorantur: Const. "Etsi pastoralis", Bened. XIII, 26 Maii 1742, et "Allatae sunt", ejusdem Pontificis, 26 Julii 1755 (in Collectanea S.C.de Propaganda Fide, nn. 338 et 395); Const. "Orientalium dignitas", Leon. XIII, 30 Novembris 1894, ubi de conservatione et tuitione huius disciplinae (Coll. n. 1883); Encycl. "Ea semper fuit", Pii X, 14 Augusti 1907. Alia inveniss citata ad calcem Codicis in hunc primum canonem.

S y n o d i pro aliquibus ecclesiis: P r o R u t h e n i s: "Synodus Provincialis Ruthenorum", anno 1720, adprobata in forma specifica; et "Acta et Decreta Synodi Provincialis Ruthenorum", anno 1891, edita Romae 1906.

P r o M a r o n i t i s: "Synodus Maronitarum in monte Libano", anno 1836, adprobata in forma specifica.

P r o M e l c h i t i s : "Acta et Decreta Synodi Provincialis Melchitarum" anno 1872.

P r o C o p t i s : "Synodus Alexandrina Coptorum," anno 1898.

P r o G r a e c i s R u m e n i s: "Concilium I Provinciale Alba-Puliense et Jogarazienae", anno 1872.

P r o S y r i s p u r i s: "Synodus Sciarfensis Syrorum", anno 1888). - Omnes hae collectiones in linguam latinam translatae sunt.

Cum legis scriptae de quamplurimis in rebus disciplinaribus non caveant, planum est inter orientales ritus haud exiguas partes competere consuetudinibus.

Nonnullis in casibus tenentur Orientales iisdem legibus ac latini. Bened. XIV in citata Encycl. "Allatae sunt", refert quod optimi viri post longam discussionem, anno 1631, hanc dederunt sententiam: "Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo, in materia dogmatum fidei; secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium".

In concreto sequentes leges latinae obligabant Orientales ante Codicem, et adhuc hodie obligant:

1) Decretum Tametsi, Conc. Trid., in quo matrimonia

clandestina vetantur; in locis tamen in quibus praedictum decretum promulgatum fuit.

2) Const. Bened. XIV Ex t s i P a s t o r a l i s, 26 Maii 1742, contra sollicitantes. Et Decr. S. Officii, 13 Maii 1731, de eadem materia.

3) Censurae ab Apostolica Sede latae "in materia dogmatum, et in Constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur, nempe, ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur" (S. C. de Propaganda Fide, 6 aug. 1885 (Cfr. Vermeersch-Creusen: "Epitome Juris Canonici", ed. 3, t. I, n. 49)

4) QUID EX CODICE AFFICIAT ORIENTALES - Prioribus dispositionibus in suo robore manentibus, Codex Orientales non attingit, "nisi de iis agatur quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem(ecclesiam) afficiunt" Ex hoc capite Orientales afficiunt canones:

1°. Qui dogma proponunt, ut est can. 218 de primatu R. Pontificis. Codex enim, licet ex se sit complexus legum disciplinarium, aliquando ratione tractationis, dogma attingere debet; et licet dogma sit veluti ius divinum, quia saepe ius divinum pariter memoratur, non quia credendum proponitur, sed quia exponitur, declaratur, etc., ideo Orientales afficient canones.

2°. Qui continent aut declarant ius divinum, tam naturale quam positivum, ut can. 228 §. 2 qui appellationem a R. Pontifice ad Concilium vetat; can. 107 de distinctione clericorum a laicis; can. 542, 2° vetans, ingressum in religionem illis qui parentibus opitulari debent, etc. (1).

Insuper, ex voluntate legislatoris, ipsos afficiunt:

1°. Plures canones in quibus expresse nominantur vel

---

1) Si quaeratur an Orientales afficiantur prohibitionibus librorum quos S. Sedes damnaverit, aut tantum vetuerit, affirmative respondemus. Etenim, in illis semper plus minus ius divinum interesse habet, sive ratione doctrinae damnatae, sive ratione scandali quod inter fideles libri prohibiti promovere valent. Non agitur ergo de mero iure disciplinari: et hac pariter de causa, Index librorum prohibitorum vim suam retinet, licet de eodem mentio in Co-

de ipsis explicite aut implicite agitur, ut cc. 98, 866, etc. (1). Elenchum omnium canonum qui quolibet ex capite Orientales respiciunt invenies apud Cappello, "Summa Juris Canonici", vol. I, Romae 1928, n. 62; licet non omnes concedant cunctos canones ibidem recensitos Orientales afficere.

2°. Orientales lucrantur indulgentias a Romano Pontifice universali Decreto concessas (prout declaravit S. Poenitentiaria, 7 jul. 1917); et ideo servare tenentur condiciones in ipsis et in Codice appositas ad eas lucrandas (2).

---

dice non fiat, ut ad can. 6 dicetur.

1) Quamvis in can. 1 dicatur Codicem Orientales non obligare nisi de his agatur quae ex ipsa rei natura eos pariter afficere debent, plures sunt canones qui ipsa respiciunt etsi a rei natura non exigatur. Attamen, modus loquendi huius canonis simul cum quadam supposita responsione Congr. pro Eccl. Orientali, iusta quam Orientales non comprehenderentur sub c. 866 S. 2, ubi, post concessam libertatem, pietatis causa, s. Eucharistiam sumendi quolibet ritu, suadetur ut fideles proprio ritu praecepto communionis paschalis satisfaciant, quo disparet severior dispositio Pii X, C. Tradita, praecepto satisfaciendi proprio ritu sub mortali, nonnulli putarunt Orientales Codex non afficere, etsi expresse de diversis ritibus sermo fiat nisi de his ageretur quae ex rei natura eos afficere debeant (Cfr. Monitore, 1925, p. 101 sqts. et Cicognani, p. 14). Quod quidem aperte contradicit obvio interpretationis sensu. Quapropter, eadem S. Congr. 26 ian. 1925, declaravit Orientales frui beneficio citati canonis. Postea vero Cicognani sententiam in additione in fine Commentarii retractavit.

2) Occasione huius responsi auctores sat frequenter extendunt Codicis favores ad Orientales. Sic Maroto, n. 173 et Cocchi (cap. 4, II, 30, 4), dicunt simpliciter Orientales frui favoribus. Vermeersch asserit ad ipsos extendi canones "qui fa-

5. = Conclusio de natura iuris Orientalis. Est ergo ius Ecclesiae Orientalis ius particulare et personale, simile iuri religiosorum; nisi mavis illud dicere ius sui generis (Cfr. Maroto, n. 173).

CANON. 2.

1. = Materia huius canonis = Excluditur a competentia Codicis ius liturgicum.

2. = DE IURE LITURGICO = Est complexus normarum quae Latina Ecclesia statuit aut approbavit circa ritus et ceremonias in sacris peragendis. Jus liturgicum dicitur stricte tale, si nempe ceremonias ad cultum pertinentes ordinet; et late liturgicum, quod ad cultum non nisi remote se refert, et hodie potius consideratur ut disciplinare, ut est quaestio de praecedentia, quae ideo substracta a competentia Congr. Sacrorum Rituum, Congregationi Concilii submissa est (c. 250, §. 3). = Cum

---

vores spirituales concedunt ritui Orientali non contrarios", pag. 41 Cicognani, pag. 12: "Alii favores seu facultates, uti habentur in can. 849 de communione, et in can. 881 de confessione....applicantur Orientalibus in proprio territorio versantibus (non ita si extra Orientem, in territorio latino commorentur"). Denique, Ojetti, pag. 29, nota 3: "Quod ad favores attinet, Orientales lucrari possunt omnes indulgentias a Rom. Pontif. universali decreto concessas....et universalibus concessionibus uti, veluti, ex gr. cc. 849, 882, tum exsistentes in Oriente, tum extra Orientem, nisi peculiaris exceptio in lege statuatur".

Sane, fateor me non intelligere cur extendi debeat concessio ultra terminos a legislatore assignatos, hoc est ultra indulgentias lucrandas. Quando Codex loquitur de generalibus concessionibus, nisi aliud ex rei natura vel contextu sermonis eruatur, eas intelligere potius deberemus factas illis quos Codex respicit directeque afficit, nempe, latinis.

ergo Ecclesia voluerit leges tantum disciplinares codificare, leges stricte liturgicas communiter non tangit, ideoque ex regula generali vim suam retinent. Sed, quamvis plerumque de ipsis nihil decernat, aliquando nonnullas tangit, aliter decernendo circa ceremonias; et si expresse aliqua corrigatur, ut planum est, vim suam amisisse dicenda est, ut accidit, ex.gr. in can. 947, §. 2-3, de administratione extremae Unctionis.

3. - DE CONSUETUDINIBUS LITURGICIS - Cum consuetudines liturgicae, iuris liturgici partem efforment, ipsis applicatur quod dictum fuit n° praecedenti, seu vigere pergent. Si aliqua Codici apponatur, de eadem diiudicandum est ad normam can. 5, ut infra videbitur.

4. - DE LIBRIS LITURGICIS - Leges liturgicae inveniuntur:

A) - In libris liturgicis Ecclesiae latinae, de quibus, S.R.C. 17 Maii 1911, videlicet:

1°. Breviarium Romanum

2°. Missale Romanum

3°. Rituale, Pontificale et Martyrologium Romanum

4°. Caeremoniale Episcoporum et Memoriale Rituum, seu Parvum Rituale.

5°. Quibus accensenda sunt Propria Officiorum et Missarum alicuius dioecesis, ordinis aut congregationis religiosae; et

6°. Instructio Clementina pro expositione SS. Sacramenti.

B) - In Collectione "Decreta authentica S.C.Sacr. Rituum", et in Decretis postea ab ipsa Congregatione latis.

Tamen, sicut prius in iure disciplinari erat quaedam confusio, ita nunc habetur in iure liturgico, propter multiplices leges; quae quidem vitaretur si Codex liturgicus pariter conficeretur; ad quod sane plurimae inveniuntur difficultates, praesertim ob legum multitudinem, et quae saepe ad minima descendere debent, pluresque frequentes subire debeant mutationes.

CANON 3.

1. - MATERIA - Agitur in hoc canone de iure concordatario, quod a Codice non tangitur.

2. - DE VIGENTIA IURIS CONCORDATARII. Codex neque

abrogat conventiones seu concordata inita a S. Apostolica = cui unice ius concordatarium reservatur = per totalem exstinctionem, neque iis ex parte derogat. Idcoque vigere pergent, vel minus, contrariis Codicis canonibus non obstantibus, prout tempore promulgationis ipsius Codicis in vigore erant vel non (1). Quaenam vero concordata in toto aut saltem ex parte tempore promulgationis Codicis iam non viguerint, non est facile determinare ex regula generali. Saepe quidem multum pendet a natura concordatorum, circa quam non una est auctorum sententia. Operae pretium erit has diversas sententias perpendere, ut ita possimus singulis casibus diiudicare de vigentia alicuius conventionis tum ante tum post Codicem initae.

3. = DE NATURA CONCORDATORUM = Concordata in genere sunt pacta inita a R. Pontifice cum diversis Statibus. Ad tres reduci possunt sententiae circa naturam concordatarum, quae dicuntur, a) theoria legalis; b) theoria privilegiorum, et c) theoria contractualis seu pactorum.

4. = A) THEORIA LEGALIS = Haec theoria docet concordata non esse nisi privilegia quae Status Ecclesiae concedit, seu leges auctoritatis civilis ad eiusdem nutum revocabiles. Theoria legalis supponit Ecclesiam Statui subordinari, eo quod Ecclesia, iuxta ipsos, sit societas imperfecta, sicut aliae societates intra Statum viventes, et sicut Status leges condit vel aufert pro aliis societatibus, ita pariter pro Ecclesia. Uti cuilibet apparet, haec theoria acatholicorum est, eamque

---

1) Sac. Angelus Mercati publici iuris fecit collectionem concordatorum, cui titulus: "Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le autorità civili (1098-1914)". Ibidem numerantur 133 concordata, ex quibus pauca certo vigent. Attamen etiam non vigentia iuvant pro intelligentia vigentium, praesertim si agatur de concordatis eiusdem nationis, quia saepe ex parte desumuntur verba vigentium ex aliis praecedentibus, etc. Haec collectio non est offivialis, sed privatim confecta. Anno 1922 initum fuit concordatum cum republica Lettoniae et anno 1924 cum Bavaria. Anno 1927 cum Lituania. Inveniuntur in A.A.S. praed. annorum, et ultimum, in 1° fasciculo 1928.

praecipue protestantismo adhaerentes tuentur (1). Illam tamen esse falsam ex ipsa Ecclesiae natura liquet. Ecclesia est societas perfecta; finem supremum habet nullique altero subordinato, ideoque Ecclesia est independens.

5. - B) THEORIA PRIVILEGIORUM - Duplex est ergo inter viros catholicos theoria de natura concordatorum. Nonnulli e diametro theoriae legali sese opponentes, docent concordata esse mera privilegia Statui ab Ecclesia concessa. Argumenta quibus innituntur sunt sequentia:

1°. Ecclesia est societas superior, ideoque veros contractus synalagmaticos seu bilaterales cum inferiore sibi subdito inire non potest, quia inferior obedire tenetur. 2°. Res spirituales quas quodam saltem modo cedere solet Ecclesia, non sunt materia veri contractus; secus haberetur simonia. 3°. In concordatis R. Pontifex potius ius cedit quam sequirit. 4° Si R. Pontifex iniret vera pacta, successores reciperent potestatem imminutam, siquidem contra pacta venire non possent. De valore argumentorum dicemus in sententia sequenti:

Hanc sententiam defendunt Schmalzgrueber, Tarquini, qui fuit eius praecipuus fautor, etc. Wernz, cum distinctionibus; et novissime eam strenue tuetur Oietti (p. 31 sqts.).

6. - C) THEORIA PACTORUM tenet concordata esse pacta internationalia, seu contractus inter Ecclesiam et Statum obligationem ex utraque parte inducentes (2). Huius theoriae sectatores in duplicem classim dispescuntur: alii tenent agi de pacto bilaterali, non tamen stricte dicto (Cavagnis qui habetur velut dux

---

1) Theoria haec, concordata nempe esse mera privilegia auctoritatis civilis ad ipsius nutum revocabilia, prima vice solemniter defensa fuit a Ministro Electoris Bavariae a. 1770. Praeter protestantes, omnino placuit Regalistis. Eius praecipui fautores fuerunt Sarwey, Thudichum, Zown.... Cfr. Wernz "Jus Decretalium", t. I, n. 172: Prümmer: "Manuale Juris Canonici", q. 24

2) OLIVI (Manuale di diritto internazionale publico), concordata vocat pacta intersocialia, quia inita inter societates perfectas, non tamen inter duos Status

theoriae pactorum, De Angelis, etc.); alii ex adverso sustinent esse vera et propria pacta (Soglia, Turinaz, Pasquazi, Tosso, Prümmer....). Theoria pactorum haec pro se offert argumenta:

1°. VERBA ROM. PONTIFICUM: a) Leo X, C. "Primitiva Ecclesia", 1516: "concordiam....illam veri contractus et obligationis...."; b) Julius III, C. "Romanum Pontificem", 14 sept. 1554: "nos attendentes concordata praedicta vim pacti inter partes habere...."; c) Leo XIII, Ep. "Nobilissima Gallorum gens", 3 febr. 1884: " "Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem, publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem reipublicae: concordiam manere integram". Ep. "Au milieu des sollicitudes", 16 febr. 1892: "Ce pacte solemnel et bilateral" (Concordatum Pio-Napoleonicum); d) Pius X Encycl. "Vehementer nos", 11 febr. 1906: "Accedit autem quod haec vincula sanctiora iuvebat esse sollemnis praetorum fides. Nempe conventio eiusmodi interces serat, cuius ultro et citro constaret obligatio, cuius modi eae plane sunt quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare Romanus Pontifex et rei Galliae moderator, se et suos quisque sucessores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur ut ista pactio eodem iure ac ceterae quae inter civitates fiunt regeretur, hoc est, iure gentium; atque disolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui nepigerant, nequaquam posset" (1).

2°. - NON TANTUM VERBA RR. Pontificum, sed et ipsa mens et praxis S. Sedis in contrahendis servandisque concordatis: semper enim - ut ex verbis apparet - putat se obligari, semperque ex parte S. Sedis concorda ta sarta tectaque servantur. Similiter, Status cum Ecclesia contrahentes, saltem ut in pluribus, existimant se veros contractus internationales inire. Denique, hoc ipsum ex forma externa concordatorum apparet, quae similis est ei quae in aliis pactis inter Status adhibetur.

---

1) Ut planum est, qui sustinent theoriam privilegiorum conantur haec et alia verba aliter quam in sensu obvio explicare. Confugiunt enim ad subtiliores disquisitiones; at minime cum exitu objective plane satisfactorio. Cfr. ex. gr. Cietti, loc.cit.

3°. EX MODO LOQUENDI AUCTORUM catholicorum, qui, ut perfectionem Ecclesiae sustineant, eam dicunt, sicut et ceterae societates perfectae, capacem ineundi vera pacta internationalia; quae quidem = inquiunt = de facto saepe iniit (cfr. Pasquazi: Jus Internationo; etc.)

4°. = DENIQUE, EX DEBILITATE ARGUMENTORUM quae privilegiorum theoria offert: nam a) tam Ecclesia quam Status sunt societates supremae, unaquaeque in suo ordine: b) non habetur simonia, quia deest studiosa voluntas emendi res spirituales; c) non semper tantum ius cedit R. Pontifex: saepe ius acquirit, et saltem, semper novum titulum ad proprium ius tuendum; d) successores R. Pontificis eadem pollent potestate, quamvis certis conditionibus subjecta. Si postrema haec argumentatio adhibita a defensoribus theoriae privilegiorum aliquid probaret, nimis probaret, ideoque nihil; etenim, etiam civilis auctoritas plenam in suo ordine habet potestatem, et eam labefactatam reciperet ex praecedenti conventione. Non possent igitur Status nec concordata inire cum Ecclesia, nec pacta cum aliis Statibus. Denique, si concordata non sunt nisi vera privilegia ab Ecclesia Statibus concessa, inutilis esset can. 3; suffiret can. 4, qui etiam privilegia intacta sinit.

DEMUM, NE FORTE in hac quaestione nimis immoremur, dicamus uno verbo quid sentiamus. Si ipsimet S. Pontifices vocant concordata a se inita vera pacta internationalia, eaque ut vera pacta sancte servant, non datur vera ratio cur nos in iuribus Ecclesiae tuendis ultra progrediamur; ipsa enim Ecclesia optime scit quid possit et quid faciat. Et haec sententia = quidquid in contrarium nonnulli asserant de multitudine scriptorum contrariam defendentium=est hodie communior inter auctores.

7. = DE CESSATIONE CONCORDATORUM. = Cum enim iuxta constantem modum loquendi RR. Pontificum et praxim S. Sedis, simulque sententiam quam tuemur, concordata sint vera pacta internationalia, vim suam amittant necesse est sicut alia pacta internationalia, praesertim normativa (1).

1) Auctores distinguunt inter pacta normativa quae = ut vox inuit = normas sequendas statuunt, et tractatus contractus, qui sunt circa aliquam rem praestandam, circa merces, etc.

8. - DE CESSATIONE CONCORDATORUM MODO ORDINARIO. Cessant seu dissolvantur sicut tractatus seu obligationes inter personas physicas ex.gr.communi consensu, elapso tempore, etc.

9. - DE CESSATIONE PER DENUNTIATIONEM EX PARTE UNIUS CONTRAHENTIS. - Theoria legalis docet concordata cessare ad nutum auctoritatis civilis, cuius sunt leges aut privilegia. Theoria haec iam reiecta manet. E contra, theoria privilegiorum tenet concordata cessare posse ad nutum H. Pontificis, utpote privilegia ab ipso concessa, et eius arbitrio aut prudentia revocabilia. De fundamento huius theoria iam supra diximus. Minimum tenendum in hac quaestione, ita cum Hammerstein enuntiari posset: "Concordata prout saepe de facto inita fuerunt, in compluribus articulis (ex.gr. ubi agitur de bonis temporalibus) Sedi Apostolicae sive Romanis Pontificibus strictam imponunt obligationem iustitiae commutativae, et Statui strictum concedunt ius saltem ex novo quodam titulo obtentum".

Restat ergo ut casus denuntiationis seu recessus consideretur iuxta theoriam praetorum, seu quod idem est, iuxta doctrinam aliorum pactorum quae Status inter se ineunt.

Pacta inita inter Status, sunt veluti pacta inita inter physicas personas. Est consensus in idem placitum, et utraque pars ligatur ex contractu inito, ita ut absque lesione iustitiae, una sine consensu alterius recedere non valeat, hoc vetante ipsamet contractus natura. Ad hoc ut tractatus internationales vim amittant per denuntiationem unilateralem, necesse est ut modo antecedenti - communiter fit in ipso tractatu - clausula denuntiatoria apponatur, qua nempe conceditur facultas recedendi ab obligatione lata. Tunc enim iam fit mutuo antecedenti consensu, et vitantur incommoda quae aliquando pars timet ex contractu inito vel ineundo. In ipsis pactis apponuntur condiciones circa rem, praesertim quo ad tempus a quo vim desinunt habere. Sic in Societate Nationum recessus vim definitivam non habet nisi post duos annos a legitima voluntatis discedendi manifestatione (art. I).

Igitur per denuntiationem unilateralem stricte dicta numquam cessant concordata, nisi modo praedicto clausula denuntiatoria habeatur.

10. - DE CESSATIONE CONCORDATI PER VIOLATIONEM EX PARTE STATUS. - Diximus, et historice demonstrari potest, S. Sedem inviolate concordata servasse; non idem asseri potest ex parte auctoritatis civilis. Quaeritur ergo an huiusmodi violationes ex se sufficiant ad concordata dissolvenda, seu ad hoc ut alia pars possit ipsa rescissa declarare. Eadem sententia ferenda est ac de aliis pactis internationalibus. De his vero PASQUAZI (Jus. Inter. I, p. 296): "Plures sunt iuristae qui affirmative respondent. Status ius habet sive urgendi executionem pacti initi, sive recedendi ab ipso tractatu. Dum enim, dicunt, in iure interno habetur possibilitas adeundi superiorem ad urgendum executionem alicuius obligationis contractualis, ideoque tantum iudices possunt contractus rescindere, in iure internationali deest superior, ideoque ipsis contrahentibus tribuenda est facultas rescindendi pacta inita. Sed melius esset, ni fallimur, si ita ageretur: urgenda est executio pacti initi, et tantum ex impossibilitate obtinendi executionem declarari debet rescissum pactum". Quae enim dicuntur de non executione - quod quidem aliqua violatio iam est, nam pacta ineuntur ut executioni mandentur - a fortiori dicenda sunt de positivis violationibus.

Ex mera violatione concordati ex parte Status, non ideo concordatum corruit - nimis enim commodum esset si quis obligationem adimplere renuens, ipsam violando ab eadem solvatur; - nec S. Sedes ipsum dissolutum statim declarabit. Sed si violatio ita gravis est aut frequens, ut animum ostendat ex parte Status non amplius concordatum servandi, licet eo ipso vim habere non desinat, S. Sedes potest illud rescissum declarare, quia in hoc casu revera dissolvitur per mutuum consensum.

11. - AN IN CONCORDATIS ADMITTI DEBEAT TACITA CLAUSULA "REBUS SIC STANTIBUS" - Quaestio haec in tractatibus iuris internationalis agitatur sub hac forma: an nempe extinguantur pacta inita, ratione variationis circumstantiarum tempore stipulationis existentium. Ubi notare oportet quod non agatur de circumstantiis quae necessario praesupponuntur ab ipso tractatu, quibus mutatis cessat pactum, ut particularia iura concessa Statui neutralizato, cum ipsa neutralizatione

vim amittunt; nec de circumstantiis iam praevisis aut parvi momenti. Iuristae dissentiunt circa rem. Quidam tenent semper subintelligi clausulam "rebus sic stantibus", ideoque pacta vim amittere mutatis circumstantiis. Alii omnino contrarium sustinent, seu asserunt pacta semper manere. Pasquazi hanc solutionem proponit (pag. 298): "Tenenda est media opinio quam hodie defendunt plures iuristae. Admitti potest tacita clausula "rebus sic stantibus" in tractatibus internationalibus, tamen respicere debet tantum casus exceptionales et gravissimas variationes quae aliquo modo reddunt moraliter impossibilem executionem pacti initi. Insuper, notari debet: Status qui vult pactum rescindere ratione mutationis circumstantiarum, non potest unilateraliter agere, sed debet rationes afferre, et cum consensu aliorum contrahentium agere". Tamen, contra hanc tertiam opinionem notamus quod si agatur de executione moraliter impossibili iam pacta ex se cessant, quia ad impossibile nemo tenetur. Insuper, si requiratur consensus aliorum, nihil speciale, quia de consensu contrahentium ex regula generali dissolvi possunt inita pacta. Ergo videtur concludendum: si executio evadat moraliter impossibilis, ipso facto contractus perimunt; bonum tamen esset hoc declarare ex utraque parte. Secus manent, licet aliquo cum contrahentium incommodo: adimpletio enim cuiuslibet obligationis secumfert aliquod incommodum . Esset tamen occasio quaerendi abutraque parte mutuoque consensu dissolutionem pacti. Praxis internationalis non est fixa: nonnulli Status aliquando recognoverunt clausulam "rebus sic stantibus"; alii, non. Quae diximus de pactis inter Status, applicari debent concordatis.

12. = DE CESSATIONE VEL MINUS CONCORDATI OB IMMUTATAM FORMAM REGIMINIS STATUS CUM ECCLESIA CONTRAHENTIS. Postrema haec quaestio de concordatis hic pertractanda solutionem invenit a praedictis; sed, quia sub hac forma agitatur, aliquantulum de ea dicendum occurrit.

Cl. Cavagnis docuerat concordata praedicto in casu manere, pluresque canonistae post ipsum, idipsum senserant, eo quod concordatum sit pactum initum inter S. Sedem et Statum, qui manet idem sive auctoritas so-

cialis inveniatur in Rege, sive deinceps in reipublicae praesidem transferri contingat. Contra hanc sententiam fortiter insurgit nuper, cl. Oietti (p. 40 sqts.); at immerito, si quid opinor. Ille autem sequentibus innititur argumentis.

1°. "Extra dubium quidem est, neque id me latet, Caput Status conventionem inire qua est persona publica, non secus ac Pontifex qui illud in sua qualitate personae publicae init. Verum neuter pactionem facit veluti repraesentans aut procurator societatis cui praeest....." Haec affirmatio non satis fundata videtur; imo, quidquid Pontifex et Caput Status peragunt quatenus publicae personae in suis relationibus cum ceteris societatibus perfectis, peragunt nomine Ecclesiae et nomine Status; quia neque Ecclesia neque Status quatenus tales possunt per seipsos agere.

2°. S. Sedes iniit concordatum cum Napoleone primo, quod viguit etiam post reipublicae adventum; post annos abruptum fuit ex parte Galliae, reclamante tamen S. Sede. Cl. Oietti ita hoc et similia explicat: natura sua concordatum vim amiserat, sed tacita ratihabitio intercesserat. Est affirmatio prorsus gratuita, et aperte repugnans pontificiis documentis supra ex parte transcriptis de eadem Gallico concordato.

3°. Accidere potest ut Gubernium perveniat ad viros non catholicos, et tunc, factae concessiones essent quid valde dissonum et incommodum. Si hoc argumentum teneret, applicandum pariter esset in qualibet Gubernii mutatione, non tantum in mutatione ipsius formae regiminis, cum frequenter id contingat, hoc est, ut ministri, et ipsum Caput, sint acatholici. Si ergo concordatum adimpleant, nihil speciale; sin minus, S. Sedes providere potest alio modo, ut supra iam diximus.

4°. Denique, opponuntur haec verba Bened. XV, in Alloc. consist. 21 nov. 1921: "In hac quidem renovata laetitia amplissimi conventus, multa sunt magnae nobis curae, sed illud maxime quod est de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem potestatem plurifariam ordinandis. Etenim, nemo est qui ignorat post recens immane bellum, vel novas natas esse respublicas, vel respublicas veteres, provinciis sibi adiunctis crevisse. Jam vero, ut alia omittamus quae huc possumus afferre, pa-

tet quae privilegii pridem haec Apostolicae Sedes, per pactiones sollemnes conventionesque, aliis concesserat, eadem nullo iure posse hasce respublicas sibi vindicare, cum res inter alios acta neque emolumentum neque praeiudicium ceteris afferat. Item Civitates nonnullos videmus ex hac tanta conversione rerum funditus novatas exstitisse, adeo ut quae nunc est non illa ipsa possit haberi moralis, ut aiunt, persona quacum Apostolica Sedes olim convenerat. Ex quo illud natura consequitur, ut etiam pacta et conventa, quae inter Apostolicam Sedem et eas Civitates antehac intercesserunt, vim suam omnem amiserint".

Sed in allatis verbis nihil speciale in favorem sententiae contrariae: imo contrarium deducitur, dum supponuntur pacta non manere quia agitur iam de re inter alios acta, de persona morali non eadem; et nemo non videt quod e simplice transitu alicuius regiminis ex.gr. monarchici ad regimen republicanum, non propterea desinit esse idem Status, eadem persona moralis.

13. UTRUM RESPONSUM COM. PONTIFICIAE, 26 nov.1922 CONTINEAT HUIUS CANONIS DEROGATORIAM CLAUSULAM. Quaestio ita proposita et soluta fuit: "Utrum in collatione canonicatuum de quibus in can. 404, abrogatae sint leges particulares, revocata privilegia et reprobatae consuetudines vi quarum iidem canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis in qua sedem habet ecclesia, conferri possint, aut isti ceteris praeferri debeant. Resp.: Affirmative, salva contraria fundationis lege, et firmo praescripto canonum 3 et 1435 §.3, ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possit ac debeat aliis idoneis et dignis, ad normam cit. can. 404".

Non continet aliquam concordatorum derogationem, quia in iisdem ineundis S. Sedes nunquam permittere potest ut canonicatus indignis aut non idoneis conferantur; ideoque dignitas atque idoneitas sunt conditiones semper suppositae. Ex alia parte est contra Ecclesiae mentem praxim atque desiderium, simul ac contra beneficiorum finem et naturam, si canonicatus vacent usquedum incolae digni efformentur.

C A N O N. 4

1. MATERIA. Sermo est in hoc canone de nonnullis iuribus ante Codicem obtentis quae a Codice non tangun tur, nisi expresse ea revocaverit: sunt nempe iura aliis iam quaesita, privilegia et indulta a S. Sede concessa, quae in usu erant tempore promulgationis Codicis, et re vocata non fuerant; licet de facto in usu essent, sed si revocatio intercesserat, vi huius canonis integra non manent. Aliqua ex ordine dicamus, incipiendo a iure quae sito.

2. JURIS QUAESITI GENERICA NOTIO (1). Jus quaesi- tum, si etymologice sumatur, idem valet ac ius acquisi- tum. Lex, in genere, est fundamentum et causa omnium hu manorum iurium: ius et officium cum sint termini corre- lativi, non esse mutuo causare possunt, sed utrumque ab uno communi procedit, ut est exploratum in philosophia, nempe, a lege. Quare ego habeo ius, tu vero officium huic iuri respondens? (relata enim alterum sine altero esse nequeunt). Quia ita disposuit lex: naturalis qui- dem, quo in casu iura et officia auferri nequeunt per legem positivam; vel positivo-humana iusta, seu vera lex: quo in casu iura et officia ab eadem regulantur. Si lex humana mihi aliquod ius concedit, sensu dicto, nempe su- bjective, aliquam facultatem, ipse legislator potest le- gem auferre, et nihil amplius mihi de praedicto iure, de praedicta facultate per legem concessa. E contra, vi prio ris legis, ego aliquid peregi: ius illud subiectivum, fa cultas quam mihi lex contulit, inanis non fuit, sed ego cuncta posui ut obtinerem quod a lege permittebatur; et nova lege adveniente, seu revocatione prioris legis, ego non possum amplius veteri lege frui, sed eram in pacifi ca possessione illius quod legi innixus adeptus sum: ut puta, in possessione paroeciae quam obtinui cum essem diaconus, quia hoc a lege priori concedebatur: advenien te nova lege, quae exigit sacerdotium ad paroeciam adi- piscendam, ego adhuc diaconus, non sum in eadem condicio ne ac ceteri diaconi qui forsitan iam sub priori lege e- rant pariter diaconi, sed facultate, iure obtinendi pa-

1) Circa ius quaesitum utiliter consuli possunt: D'Ange lo: "Il "ius quaesitum" nel diritto canonico", 1922; Id. "Jus Digestorum", 1927, p. 163; Ephem. Theol. Lo vanienses, mense iulio 1924, p. 438; Jus Pontificium 1921, p. 106; A.A.Sedis, 1919, p. 350; Oietti, p. 55; Vermeersch-Creusen, ed. 3^ p. 65; Toso, p. 14; Cico

roeciam usi non sunt: illi, mutata lege, nihil amplius petere possunt de facultate prius habita; ego, mutata lege, retineo quod acquisivi: ius nempe manendi in ipsa paroecia ut parochus.

Sumitur ergo ius quaesitum primario subjective, seu pro facultate aliquid agendi vel omittendi, et secundario obiective seu pro re illa circa quam ius objectivum exercetur.

3. DUPLEX CONSIDERATIO IURIS QUAESITI. Ius quaesitum dupliciter considerari potest: philosophice, seu theoretice: hoc est, considerans quomodo legislator debeat iura quaesita servare, multiplices ob rationes, ni si bonum publicum quod privato anteponi debet, aliud suadendum decernat, ut accidit in aliis privatorum bonis. Positive, statuens quaenam iura quaesita legislator de facto servaverit: ad quod oportet videre an determinaverit singulis casibus num ius quaesitum auferat vel servet; an in casu negativo criterium saltem generale dederit, et quo usque iuxta legislatorem ius quaesitum extendatur.

Circa primum nulli dubium quod iura quaesita in genere servari debeant. Circa secundum legum latores nec determinare solent quo usque iuxta ipsos iuris quaesiti nomen extendatur, nec quandonam in casibus concretis aufertur aut manet, licet regulam generalem de permanentia statuant. Ad Codicem quod attinet regulam habemus iuxta quam ius ante ipsum quaesitum non aufertur nisi expresse dicatur, et pariter providetur tempori futuro, dum irretroactivitas legis memoratur et statuitur (c. 10); sed quid sit ius quaesitum non dicitur. Hinc est quod ad naturam iuris quaesiti investigandam procedere oporteat. Et cum sententiae civilistarum influxum in canonistis exercuerint, ab illis, breviter quidem, incipiendum est.

4. SENTENTIAE CIRCA NATURAM IURIS QUAESITI:
a) Inter civilistas. Juris Civilis cultores, de hac re plures tulerunt sententias, quin adhuc definitivam protulerint. Hoc verbum, tam in operibus quam in iurisprudentia nihil adhuc concretum et undequaque definitum si

---

gnani, p. 24; Falco: Introduzione allo studio del "Codex Juris Canonici"; Cappello, Summa; 1928, p.50.

gnificat. Nulli igitur mirum si civilistae aliqui, ut Planiol = "Droit Civil", I, 241, fere spem amittant ve ram iuris quaesiti inveniendi notionem. Tres praecipue theoriae sunt in honore apud civilistas. Prima distinguit inter ius quaesitum, quod servatur, et meras spec tativas, quae auferuntur. Uti patet naturam ipsam iuris quaesiti proprie non ingreditur. Altera dicta "del fat to compiuto", servat quae undequaque perfecta fuerunt sub veteri lege, minime vero quae tantum habent factum inchoatum sub ipsa lege. Tertia denique, "finis legis" dicta, servandum putat quidquid novae legi non contradi cit in huius scopo.

B) Inter canonistas. Nec in Jure Canonico facile negotium est iuris quaesiti naturam determinare; nec auc tores inter se concordant, adeo ut difficile iam sit om nium opinionum varietates cognoscere. Quae magis in usu sunt, licet adhuc intra unaquaque diversimode res expli care conentur, sunt sequentes: 1^. Theoria detrimenti seu incommodi; 2^. Theoria diversi tituli; 3^ Theoria finis legis.

I^. Theoria detrimenti seu incommodi. Juxta hanc theoriam "ius quaesitum tollitur si propter factum suum praeteritum seu non observatam legem novam, quispiam in commodum, detrimentum patiatur. Nullum vero tollitur ius quaesitum, si lex ei applicetur quia, independenter a facto suo praeterito, in requisitis applicationis condi cionibus versetur". (Van Hove, ed. I^ Vermeersch-Creusen I, p. 34).

Haec theoria quae nimis diferre non videtur a theo ria diversi tituli, iuris quaesiti intrinsecam naturam non ingreditur, sed illud indirecte considerat. Nec suf ficiens apparet, nam in casu mere spectativarum etiam quis incommodum pati potest. Semper ac tollitur ius quae situm, aliquod incommodum habetur; sed non semper ac ha betur aliquod incommodum in applicatione seu adimpletio ne novae legis dici potest quod ius quaesitum aufertur a legislatore.

2^. Theoria diversi tituli. Habetur ius quaesitum ex hac sententia, cum sub veteri lege fuit pariter titu lus ab eadem lege diversus, ex quo immediate ius ortum habuit. Ita exponitur a Vermeersch-Creusen, I, 3a, p. 66.

"Jura acquisita ea sunt quae inter bona nostra reperiuntur. Bona autem ad duplex caput revocantur. Alia enim possidentur in se: sunt omnes effectus ante novam legem legitima causa producti; inde communis norma: consistunt sub nova lege effectus antea producti. Alia autem bona possidentur in virtute causae immediatae possessae et permanentis. Ista causa immediata dicitur titulus. Videas igitur si titulus iste sit legitimus et permaneat. Estne lex? Haec, mutata lege, virtutem omnem amisit. Quare ex lege antiqua non sunt acquisiti nisi effectus ante novam legem producti: Si vero titulus fuerit independens a lege, v.g. pactio ex promissione nata, is virtutem suam exserere perget quam diu ipse consistat".

3^. Theoria finis legis. Ita describitur D'Angelo (Jus Dig. p. 163): "Est ergo ius quaesitum: facultas moralis et inviolabilis ad aliquid habendum, faciendum vel omittendum, adquisita a subjecto idoneo particulari, physico vel morali, ope anterioris legis vel negotio (seu facto) quodam iuridico sub eadem rite posito (seu omisso), cui nova lex non resistit vel saltem non obstat in scopo".

Contra hanc theoriam obiicitur esse potius, normam pro legislatore, et inutilem in iure canonico cum Codex iam caveat de irretroactivitate legum. Ad quod optime respondit strenuus eius propugnator, Prof. D'Angelo, inseri vire posse in iure condito, saltem cum criterio seu ut criterium suppletorium, quando de mente legislatoris aliter non constat.

5. Quid demum dicendum de natura iuris quaesiti. - Quidquid sit de valore uniuscuiusque ex his theoriis et aliis quae afferri possent, satis est ad naturam iuris quaesiti saltem adumbrandam, si dictis aliquid adiungamus, simul cum aliis quae ad can. 10 dicenda sunt. Ex omnibus ergo, si non definitio, descriptio aliqua innotescet.

Nova lex, veteri contraria, sese invenire potest relate ad subditum dupliciter: aut enim subditus nihil fecit ut obtineret quidquid per primam legem ei concedebatur, et tunc nulla quaestio. Suponas casum: lex permittebat emere bona ecclesiastica: Titius ius habebat eadem emendi, sed de facto nulla emit. Postea alia lex vetat ne amplius bona ecclesiastica emantur: Titius nullum ius habet erga bona ecclesiastica, nec quidem ad

eadem emenda, facultas eidem concessa per legem tollitur per aliam similem legem, prout sub n. 2 explicatum manet. E contra, nova lex invenit subditum qui veteri legi innixus, requisita ab eadem posuit ut ius quod ipsi tribuebatur de facto obtineret. Et tunc adhuc nova lex duplicem casum invenire potest in subdito: aut actus peregit qui undequoque transierunt. Tunc pariter nihil ad rem Titius, vi prioris legis emit quotidie pomas ab extero: easdem edit; nova lex contraria nihil refert ad Titium. facta enim pro infectis haberi nequeunt. Aut vero Titius vi prioris legis aliquid egit, ita ut actus praeteritus licet in se non maneat, manet tamen in suis effectibus: ii quidem absolute regulari possunt a nova lege; lex utique est mensura actuum humanorum, et actibus iam peractis ab ulteriori lege non regulantur, sed nihil vetat quominus regulentur in suis effectibus qui permanent eo nempe sensu quod determinentur relationes novi actus ab aliquo peracturi relate ad illos permanentes effectus. Sed Titius in illo quod acquisivit vi prioris legis, impressit propriam activitatem, veluti aliquo modo propriam personalitatem; ius ergo habet ne disturbetur, sicut in propria personalitate, ita pariter in illo quod est velut quaedam eiusdem personalitatis extensio, et ut libere exerceat activitatem in effectus illos adhuc permanentes, permanentes, nisi nova lex bono publico exigente, aliud determinare debeat, quia bonum publicum postulare potest ut effectus perseverantes tangantur, et ne Titius activitatem erga ipsos exerceat. Sit exemplum prius allatum de diacono qui prius parrociam obtinuerat. Ideoque habetur ius quaesitum in genere quamvis ante novam legem quis legitime ita activitatem exercuit ut effectus perseverantes habeantur illius veteris activitatis.

Certe quidem difficultates non paucae oriri possunt in nonnullis casibus ut sciatur an adsit ius undequaque seu vere quaesitum, ut in non completa, sed incoepta praescriptione, in electione quae adhuc aliis indiget sub nova lege in electo qui adhuc possessionem non coepit. Sed de his melius ad can. 10, qui inspici debet, ut supra diximus, ad accuratiorem iuris quaesiti notionem hauriendam (1).

---

1) Cappello (p. 50), triplici sensu ius quaesitum usurpandum esse docet: latissimo, et denotat quodlibet ius

6. DE PRIVILEGIIS ATQUE INDULTIS. Privilegia acquiri possunt per directam concessionem, per communicationem, per consuetudinem et per praescriptionem (c. 63). Sic quoque ante Codicem. Privilegia concessa a Superiore infra S. Sedem, si Codici sint contraria, uti planum est, non sustinentur et idem dicendum est de indultis. Si non sint, aliquo saltem modo, contraria, a Codice non tanguntur. Privilegia e contra, a S. Sede concessa, manent nisi expresse ab ipso Codice revocentur: expedit enim beneficium Principis esse mansurum. Attamen, ut maneant, requiritur ut ante Codicem non fuerint revocata, quia in hoc casu robur a Codice minime obtinent, licet post revocationem in usu indebito permanserint; pariter, requiritur ut fuerint in usu tempore promulgationis Codicis, quia si non fuerant quidem revocata, sed de facto in usu non erant, signum est quod nova, aut saltem inutilia aveserant: et haec a Codice vim novam non accipiunt. Idem dicendum est de indultis a S. Sede concessis. Privilegia a S. Sede obtenta, non directe, sed per communicationem, manent pariter, nisi expresse revocentur; nullibi enim contrarium constat, et eadem est ratio permanentiae pro utrisque. Privilegia obtenta per consuetudinem non salvantur, sed ex alio capite, ex canone nempe 5, vices consuetudinis a qua oriuntur sequi possunt. Excipe tamen, si vi privilegii, aliquid amplius habeatur, ius nempe quaesitum: hoc manet ut quodlibet ius quaesitum. Privilegium acquisitum per praescriptionem, ex se non maneret, sed utique quatenus praescriptio originem dat iuri quaesito. Ideoque, caute animadvertendum est quandonam ex omnibus praedictis habeatur aliquid amplius, ius nempe quaesitum, quod ex regula generali manet. In concreto, saepe difficile negotium est discernere an ius quaesitum habeatur, an privilegium assertum proveniat ex consuetudine aut ex praescriptione (differentia inter utramque suo loco apparebit: in genere, consuetudo supponit communitatem et mores in ipsa; est institutum iuris publici; praescriptio, e contra, est iuris privati, et consequenter etiam inter privatas personas locum habere potest). Nec sufficienter in omnibus clare apparet cur

---

quod alicui competit quocumque titulo: ex contractu, praescriptione privilegio...; lato et denotat ius obtentum ex peculiari concessione Superioris, et tribuit titulum iustitiae erga tertias personas, non erga concedentem, quo sensu usurparetur regula 18a, Cancell. Apost. "de non tollendo ius quaesitum";

ex.g.magis revereatur praescriptio quam consuetudo relate ad id quod ipsis mediantibus obtinetur: ut si praescriptio adsit in una ecclesia relate ad aliam, aut e contra, in eadem materia habeatur generalis consuetudo in tota dioecesi.

7. DE EXPRESSA REVOCATIONE. Postrema verba afficiunt tum iura quaesita, tum privilegia atque indulta. Privilegia saepe quidem in Codice nominatim revocantur. Non tamen indulta, forsitan quia sunt temporanea et exploto tempore cessabunt. Exemplum revocationis indulti habetur in can. 964, 4°; ubi de litteris dimissoriis ad ordines. Jus quaesitum expressis nominibus nullibi revocatur, at revocatur de facto, aliis sub verbis aut dispositionibus? Quaenam est vis verbis expresse in casu? In can. 199 § 1 dicitur quod iurisdictio ordinaria delegari potest nisi aliud expresse iure caveatur. Orta fuit quaestio de potestate ordinaria quam parochi habent ad audiendas confessiones, an nempe parochi delegare possent, quia nullibi dicebatur in terminis parochum delegare haud posse. Attamen, canonistae non pauci = etiam ante declarationem Commissionis circa rem = optime dicebant Codicem aliud expresse cavere, si non verbis, factis, nam dum loquitur de illis qui possunt delegare ad confessiones excipiendas, nihil de parocho statuitur. Accidere potest quid simile ubi agitur de expressa revocatione in can. 4 ? Quaestio haec est minime spernenda.

C A N . 5

1. MATERIA. Agitur de consuetudinibus vigentibus tempore promulgationis Codicis et quae nunc canonibus ipsius Codicis sunt adversae: manent vel minus, iuxta infra dicenda.

2. DE UNIVERSIS CONSUETUDINIBUS ANTE CODICEM VIGENTIBUS RELATE AD CODICEM = Consuetudo esse potest secundum, praeter aut contra legem. In hoc canone 5 tantum agitur de consuetudinibus quae, promulgato Codice, statim contrariae canonibus inveniebantur; sed quid di-

---

stricto, et est quod provenit immediate ex aliquo facto peculiari, posito sub imperio legis aut vi dispensationis aut specialis facultatis a Superiore concessae.

cendum de consuetudinibus quae secundum ipsum Codicem nunc inveniantur, et de illis quae forsitan sint praeter Codicem? Ut tota materia absolvatur expedit agere: a) de consuetudinibus quae in Codice reprobantur; b) de consuetudinibus centenariis et immemorabilibus quae non reprobantur, sed tantum tolerantur in nonnullis adiunctis; c) de consuetudinibus ordinariis, quas Codex non salvat, et de aliis centenariis et immemorabilibus quae possunt prudenter submoveri; d) de consuetudinibus quas Codex servare praecipit: e) de consuetudinibus quae a Codice salvantur; f) de consuetudinibus praeter Codicem; g) de consuetudinibus secundum Codicem, seu secundum ius. Notari oportet quod hic legislator regulas specialissimas tradit de consuetudinibus, ideoque, regulantur etiam consuetudines particulares, centenariae et immemorabiles, quas, nisi expresse memorentur, lex non tangit (c. 30). Ita erit deinceps, et ita fuit ante Codicem; sed ad hoc ut disciplina ecclesiastica quoad fieri posset uniformetur, et ex qualibet praxi res forsitan minus consonae auferrentur, haec particularia traduntur in can. 5 relate ad priscas consuetudines. De consuetudine sermo erit ex professo sub titulo 2° huius libri; omnino consuli debent ibidem tradenda, ad pleniorem intelligentiam eorum quae nos sumus dicturi.

3. DE CONSUETUDINIBUS QUAE EXPRESSE IN CANONIBUS REPROBANTUR. Per se hic canon agit de consuetudinibus formalibus, quia loquitur de consuetudinibus vigentibus tempore promulgationis; et consuetudines materiales, sunt in via, sed ius adhuc non constituunt. Nec agit de illis materialibus factis quae nec quidem dici possunt in via ad consuetudinem formalem stabiliendam, quia vel sunt corruptelae, vel alio ex capite aptae non sunt ad veram consuetudinem unquam stabiliendam (cfr. Oeitti, p. 65). Attamen, si alicubi facta praedicta aut corruptelae inveniantur, a fortiori dicenda sunt aut reprobata, aut revocata; nisi mavis dicere haec natura sua iam non consistere.

Si ergo consuetudines reprobentur, tanquam iuris corruptelae corrigi debent, neve sini debent in posterum revivisci. Ipsemet Codex aufert vim legalem; facta

materialia quae remanent corrigi debent, quia amplius non agitur de consuetudine, sed de iuris corruptela. Talis consuetudo reviviscere amplius non potest, quia quaelibet consuetudo ad hoc ut introducatur et consistat, esse debet rationabilis, et consuetudo quae in iure reprobatur non est rationabilis (c. 27).

Cave tamen ne credas tantum reprobatas esse consuetudines quae in Codice expressis verbis memorantur. Codex enim prout iam ante ipsum in votis canonistarum erat (cfr. Wernz, "Jus Decretalium" I, tit. X, n. 2, VI) potius reprobat consuetudines quae contra nonnullis gravioribus legibus mere ecclesiasticis invaluerant, vel in posterum oriri conabuntur. Sed praeter has omnes consuetudines quae in veteri iure irrationabiles dicebantur, etiam nunc sunt irrationabiles, nec unquam oriri possunt, seu idem est ac si essent reprobatae. Nisi tamen agatur de aliqua consuetudine quae ex mera lege ecclesiastica declarata fuerit irrationabilis, et deinde, mutatis circumstantiis, ratio seu fundamentum nunc amplius non habeatur ut adhuc dici possit irrationabilis (cfr. Wernz, loc.cit.; Oietti , p.62). Non ergo statim ac clausula reprobatoria in canone quis non inveniat, confugiat ad contrariam consuetudinem iuxta regulas postea in eodem can. 5 traditas, sed videat de rationabilitate vel minus iuxta ea quae communiter tradebantur ab auctoribus ante Codicem, et quae adhuc docentur, ut suo loco videbitur. Praesertim, ubi res clare non appareat, attendi debet praxis et styius Curiae Romanae, quae saepe ex diversis decretis circa rem emanatis dignosci possunt. Sit exemplum: in can. 414 servitium chori per turnum permittitur si a Sede Apostolica aut fundationis legibus fuerit indultum. Nihil de contrariis consuetudinibus. Potest ergo adlegari contraria consuetudo a capitulis ut non semel fit? Minime: S.C.Concilii hoc saepe vetuit, nec similes consuetudines unquam permissit, quia consuetudinem abessendi a choro dicebat disrumpentem nervum disciplinae ecclesiasticae, indecque irrationabilem, consequenter nunquam sustinendam (cfr. Pallottini: Collectio, V, Canonici; et S.C. Concilii: Toletana et aliarum, A.A.S. 1920 p. 35). Hoc criterium adhibuit circa rem etiam post Codicem; et [illegible] que publicam declarationem emisit (A.A.Sedis, mense Decembri 1927) (1).

---

1) Giraldi, "Expositio Juris Pontificii" sect. 36, alium exhibet plurium consuetudinum iam pridiem revocatarum.

4. DE CONSUETUDINIBUS CENTENARIIS ET IMMEMORABILIBUS QUAE NON REPROBANTUR, SED TOLERARI POSSUNT AB ORDINARIIS NONNULLIS IN ADIUNCTIS. = Veniunt sub hac categoria quae designantur a Codice his verbis: "quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari possunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse". Memorantur consuetudines centenariae et immemorabiles, et quaeritur imprimis de sensu particulae et, an nempe requiratur ut consuetudines sint centenariae et insuper immemorabiles, hoc est, quod sciatur illas ante centum annos ortas fuisse, et insuper initii memoria non existat. Videtur quod sensus non sit cumulativus: si ita esset sufficeret dicere quod essent centenariae, et in iisdem comprehenderentur etiam immemorabiles. Sed difficultas habetur in hoc: potest quidem evenire ut memoria initii alicuius consuetudinis non existat, sed certo sciatur illam abhinc centum annis non existere. Quid iuris? Putarem illam normis immemorabilium regi, quia et in ipsa conceptus consuetudinis immemorabilis salvatur, dummodo tamen vetustate vere sit ornata, quia secus ratio non habetur ipsam speciali veneratione prosequendi. Cum consuetudines de quibus est quaestio, non supponantur omnino graves nec in peccatum inducentes, non revocantur absolute, ut prirores, sed prudentiae ordinariorum committitur videre de inconvenientia revocationis. Etenim, consuetudo in populis adeo veluti ossibus adhaeret, ut nunquam absque difficultate avelli possit. Videndum est igitur in concreto, ne forte mala quae timentur ex consuetudinis suppressione exsuperent bona per unitatem disciplinarem obventura.

5. DE IUDICIO EMITTENDO AB ORDINARIIS IN PRAEFATIS CONSUETUDINIBUS. Circa iudicium emittendum ab Ordinario in consuetudinibus de quibus in n° praecedenti est quaestio, haec notanda sunt:

a) = iudicium proferendum ab Ordinario non est mera facultas, ita ut ipse pro lubitu consuetudines auferre aut permittere valeat, sed esse debet prudentiae innixus. Ad hoc ut tolerentur necesse est ut gravia incommoda praevideantur: scandalum, dissensiones... Quod tolerari nequeunt nisi grave habeatur incommodum ex ipsa met hac concessione oriatur. Etenim, Codex ad unitatem disciplinarem tendit; et ad hoc ut haec unitas ob praefatas consuetudines non obtineatur, non sufficit quod=

libet incommodum, quia hoc semper habetur in legum adimpletione, et in quarumcumque consuetudinum suppressione; ideoque incommodum in hoc casu speciale esse debet. Insuper, S. Sedes, semper in his consuetudinibus strictum criterium adhibet, cum ad ipsam deferuntur. Memorabor duas tantum quaestiones quae iuris publici factae sunt: S.C.Concilii, Zagabrien. 15 nov. 1921, A.A.Sed. p. 43, circa consuetudinem nominandi vicarium cooperatorem inaudito parocho, et S.C. de Religiosis, 20 martii 1922, A.A.S. 1922, p. 352, circa consuetudinem exigendi taxas in exploratione voluntatis religiosorum ante novitiatum et professionem.

b) = regula est quod tantum tolerantur, si in dictis supra circumstantiis inveniri contingat; nequaquam robur speciale a Codice accipiunt. Et postquam adiuncta illa specialia vi quorum tolerari debebant amplius non existant, supprimi debent (sic quoque Vermeersch-Creusen, n. 55), nisi interea ad normam Codicis legitime praescriptae sint (can. 27)

c) iudicium de tolerantia vel minus alicuius consuetudinis, nequaquam ad subditos pertinet, sed unice et exclusive ad Ordinarium. Minime probandi sunt qui per seipsos saepe ad contrarias consuetudines congugiunt, multoque minus illi qui, postquam Ordinarii iudicium contra consuetudinem apparuit, adhuc censent illam retinendam esse. Possunt tamen subditi ante iudicium Ordinarii, aliquibus uti consuetudinibus, infra tamen limites postea indicandos.

d) = quaeri igitur potest, a quo momento hae consuetudines quae tolerari non debeant dicendae sint abrogatae: an a momento quo Codex vigere incepit, seu potius a momento quo Ordinarius iudicat illas posse absque gravi difficultate submoveri. Codex per seipsum consuetudinibus quae reprobat vim legalem abstulit; quid vero de istis? Cappello, (n. 55), tenet vim amisisse statim ac Codex promulgatus fuit; contrarium tamen docent Maroto (n. 170), et Vermeersch-Creusen (n. 55). = Puto quod non statim vim amiserint, nisi forte agatur de aliquibus quae evidenter avelli poterant absque gravi incommodo, quae quidem in praxi non adeo faciliter invenirentur, nam si statim vim amisserant, et postea

fortasse post plures annos, Ordinarius inveniat quod facta illis respondentia de facili auferri nequeant, consuetudo novam vim acquireret, iterum reviviscere deberet. Ideoque ante iudicium Ordinarii putarum quod ex regula generali talis consuetudines vim non amisse rint.

e) = Per se igitur videretur necessarium positivum decretum Ordinarii statim ac Codex vigere coepit, in quo constaret de consuetudinibus tolerandis et auferendis; sed hoc nullibi factum fuit, nec facilitor fieri potest, cum consuetudines detegantur paulatim, quando necessitates quotidianae easdem innuunt. Hinc, cum hoc iudicium generale et expressum desit, subditi iudicium tacitum de tolerantia praesupponere valent, nisi de rebus gravioribus agatur et tempus suppetatu recurrendi ad Ordinarium, aut de consuetudinibus quae absque grave difficultate auferri possunt, ut dictum supra sat.

f) = si de consuetudine universali agatur, quilibet Ordinarius iudicium profert intra proprios limites: accidere enim potest quod in uno loco avelli possit absque gravi difficultate, minime tamen in aliis (Vermeersch Creusen, n. 55).

g) = Ordinarii qui iudicium proferre debent sunt Ordinarii locorum, seu Episcopi et alii qui sub hoc nomine veniunt in can. 198, circa proprios subditos, et alios in rebus in quibus ab ipsis pendent, ut in rebus in quibus exempti pendent ab Ordinario loci. In religionibus vero clericalibus exemptis, et relate ad ea in quibus Episcopo non subduntur, iudicium profertur a Superioribus maioribus ipsius religionis (cc. 198, 488, 8°. = Et non absque fundamento docetur in religionibus clericalibus non exemptis, et in materiis in quibus Ordinario loci non subiacent, iudicium propriis Superioribus maioribus reservari (cfr. Larraona, "Commentarium pro Religiosis", mense aprili 1923; et Cicognani, n. 33).

6. = DE CONSUETUDINIBUS CENTENARIIS ET IMMEMORABILIBUS QUAE NON TOLERANTUR NEC A CODICE SALVANTUR, ET DE CONSUETUDINIBUS ORDINARIIS QUAE PARITER SALTEM NON SALVANTUR. = Sub verbis can. 5 "ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat", comprehendi debent non tantum consuetudines ordinariae, ut sat frequenter innuitur, sed etiam consuetudines centenariae et im-

memorabiles quae non tolerantur, et aliae de quibus Codex aliud caveat. Si verba illa tantum de consuetudinibus ordinariis, seu nec centenariis nec immemorabilibus intelligerentur, hoc inconveniens haberetur: consuetudo salvaretur si ordinaria, et eadem consuetudo non salvaretur si centenaria aut immemorabilis. Ex. gr. c. 408 § 1, ubi de praecedentia intra eundem Capitulum, contrarias consuetudines salvat. Si haec consuetudo in aliquo Capitulo 40 annis in usu fuerat, salva manet; si vero iam a centum annis aut ab immemorabili servatur, non salvaretur: quod asserere absurdum est. Ideoque, consuetudines quae sub praesenti titulo continentur, vim omnem amittunt.

7. DE VI IURIDICA CONSUETUDINIS QUAE A CODICE FIRMATUR, SEU OBSERVARI PRAECIPITUR. Codex non semel consuetudines ita memorat ut eas statuat ut normam sequendam; qua in casu consuetudines servari debent intra limites qui ex ipsarum natura et praescripto singulorum canonum eruuntur. Ex.gr., c.c. 346, 1519 §.2, etc.

8. DE VI IURIDICA CONSUETUDINIS QUAE A CODICE SALVATUR. Casus diversus a praecedenti est ille in quo consuetudines tantum salvantur, sub diversis formulis: "nisi consuetudo aliter ferat"; "salva contraria consuetudine";"excepto casu consuetudinis";"salvo iure particulari"... Quaeritur ergo de vi horum verborum an nempe consuetudines, ius particulare in genere ita salventur ut a Codice confirmentur quin possint ab ullo praeter Supremum legislatorem mutari, seu e contra, salventur, sed robur ipsis speciale non adiiciatur, et tantum mansant uti prius erant. In genere hoc affirmare possumus: Quoties Codex aliquid salvat, robur speciale non adiicit, sed hoc sinit ut prius. Tantum, quod non obstante canone contrarium statuente, norma particularis sequi potest. Debemus igitur in singulis casibus videre de natura statuti, legis, consuetudinis salvatae, ut appareat an et a quo mutari possit. Prae primis notetur ius illud particulare, sit consuetudo vel aliud, a privatis personis inviolate servari debere, dum tale ius permanet.

sicut quaelibet aliae leges. Si vero agatur de immutatione ipsius iuris particularis, et hoc proveniat a S. Sede per legem, per privilegium...ab aliis inferioribus, puta Episcopis, mutari non potest. Si proveniat ab aliqua lege Episcopali, ab eodem Episcopo mutari potest. Si agatur de consuetudine particulari, pariter mutari valet hoc ius, salvo tamen iure aliis forsitan iam quaesito. Fateor nonnullos dodere de consuetudinibus quae salvantur, Ordinarios debere illas servare (Il Monitore, 1921, p. 84; Cicognani, p. 34): at minus recte, ut videtur, hoc asseritur, quia in praedicto can. 5 nec verbum invenitur quod significet hanc specialem confirmationem; tantum salvantur, et quod salvatur, non specialiter confirmatur, sed relinquitur ut prius erat; et sicut Episcopus poterat et potest consuetudines particulares revocare (cfr. Vermeersch, n. 112), ita consuetudines quae a Codice salvantur; nisi = inquam = ex ipsa consuetudine aliquid aliud ortum fuerit. Exemplum adhibeamus de electionibus. In can. 174 dicitur quod electus habeatur qui suffragia retulerit ad primam can. 101 §. 1, n. 1; at in hoc postremo canone ius particulare salvatur. Stante hoc iure particulari, in aliquo Ordine religioso, ex.gr. omnes domus illud attendere debent in electionibus. Sed Ordo, iuxta proprias constitutiones, illud mutare potest, sicut fecit Ord. Praed. quae nuper determinavit ut in electionibus Superiorum localium et Provincialium perveniatur usque ad septimum scrutinium, et si adhuc non habeatur electio, provisio devolvatur ad Superiorem. Si lex particularis anterior proveniebat ex consuetudine, eodem modo fieri potuit. Est ergo quaestio haec de natura iuris particularis salvati, in genere, et in specie de consuetudine, minime spernenda, ob practicas applicationes in ipso Codice, et in rebus maximi momenti. At in votis adhuc est ut ab aliquo saltem auctore debita cum diligentia perpendatur.

9. DE CONSUETUDINIBUS ANTE CODICEM VIGENTIBUS QUAE POST IPSUM SUNT SECUNDUM LEGEM. Hae non sunt nisi practicae interpretationes ipsius legis; ideoque nullum inconveniens ut maneant, imo maxime adiuvare possunt ad verum sensum legis posidendum; quo in sensu vigere pergant. Ita quoque procedendum est quando sermo fit de con

suetudinibus secundum legem relate ad Codicem. Nonnulli scriptores inveniuntur qui consuetudines quas Codex firmat et illas quas salvat tantum, vocant consuetudines secundum legem. Hoc sub aliquo respectu verum est, quatenus nempe Codex secum seu cum propriis canonibus eas componit. Sed non sunt consuetudines secundum legem sensu quo hae communiter accipiuntur, et consequenter, illis applicari nequeunt omnia quae de his dicuntur. Quo prae oculis habito confusiones in praxi vitabuntur.

10 - DE CONSUETUDINIBUS ANTE CODICEM VIGENTIBUS QUAE POST IPSUM SUNT PRAETER LEGEM, SEU PRAETER CODICEM. - Plures sunt consuetudines quae ante Codicem vigebant ut tales, et nunc verae leges factae sunt, cum Codex eas receprit et canones ipsorum praescripta referant ut ius quodlibet scriptum. At quaeritur utrum possibile sit invenire consuetudines universales quae in Codice receptae non fuerint et adhuc vigeant. Aliqui negant (Chelodi, n. 59 et n. 8; Maroto, n. 170; Cappello, n. 55), eo quod legislator Codicem voluerit fontem unicum legum universalium, et nonnulli memorant xx can. 6, 6° ubi dicitur quod si aliqua lex nec implicite nec explicite in Codice continetur, vim omnem amisisse dicenda est. Attamen, in hoc canone agitur de iure scripto, non de consuetudinario. Et nihil impedit quominus aliqua generalis consuetudo praeter Codicem vigere. adhuc pergat ad normam c. 30. Secus legislator benignius egerit erga consuetudines contrarias, quas saepe tolerat, aut tolerare sinit, saepe salvat, ut iam vidimus quam erga consuetudines praeter ipsum Codicem. Et haec doctrina circa consuetudines huiusmodi universales memoratur cum approbatione a S.C.Concilii, Wratislavien. et aliarum (licentiae gestandi barbam), A.A.S., 1920, p. 43. Utiliter, praeterea, consuli potest circa rem Gommaire; "De vi actuali consuetudinum praeter Codicem ante Codicis promulgationem vigentium". Romae, 1924.

11. DE CONSUETUDINIBUS LITURGICIS. Consuetudines in re liturgica vigere posse modo simili ac in re disciplicari certum est. Etiam consuetudines contra leges liturgicas, servatis servandis, praevalere possunt Videretur quod deficit consensus legislatoris; attamen

S. Ritum Congregatio, implicite saltem non semel hoc admissit, loquiturque de consuetudinibus liturgicis modo simili ac loqui consuevit inter auctores de aliis consuetudinibus. Sit exemplum, S.R.Congr. 3 sept. 1746 dixit non licere cappellanis stolam deferre in funeribus....nisi intra propriam ecclesiam; tamen, die 24 martii 1825 respondit: "....habitaque ratione quod decreto generali minime obstante etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens....rescribendum esse censuit: "servandam esse consuetudinem et nihil innovandum" (Decret. auth. 2635). Consequenter, merito iisdem consuetudinibus liturgicis, si Codici contrariis inveniantur, regulae in can. 5 applicantur, et si non contrariae, aliae regulae, prout de ceteris consuetudinibus dictum fuit. (Cfr. Maroto, n. 171).

C A N . 6

1. MATERIA = Agitur de relatione Codicis ad ius disciplinare scriptum ante ipsum, tempore suae promulgationis vigens et in canonibus praecedentibus non memoratum. Dicuntur abrogatae quaelibet leges Codici oppositae, nisi de particularibus aliud caveatur; cum Codex veterem disciplinam plerumque retineat, canones qui eam continent ex veteris iuris auctoritate interpretandi dicuntur; abrogantur poenae de quibus mentio non fit et quaelibet leges saltem implicite in Codice non contentae, nisi agitur de legibus quae reperiuntur in libris liturgicis, aut de legibus divinitus homini latis.

2. DE CRITERIO ADHIBITO A CODICE RELATE AD VETUS IUS DISCIPLINARE. Codex, ut canon sub n. 1° monet, vigentem tunc temporis disciplinam communiter retinet, licet opportunas immutationes afferat. Hae mutationes relate ad totum complexum legum disciplinarum, multae quidem non sunt, sed si sigillatim inspiciantur, plures sunt, et nonnullae praesertim, valde momentosae. Disciplinare ius tantum his immutationibus afficitur, et regulis in hoc canone statutis subest; minime autem leges seu definitiones dogmaticae quia hae et excluduntur a competentia Codicis, quas non tangit nisi aliquando, et arrepta occasione, et immutabile quid determinant. Excluduntur insuper leges doctrinales, quae pariter in

suo robore manent, nam si dogmata immediate non afficiunt, mediate ad ipsa referuntur. In vigore ergo permanent, hoc vel quolibet canone minime obstante, definitiones dogmaticae, damnationes propositionum sub qualibet nota seu censura, Index librorum prohibitorum, declarationes S. Officii praecedentia respicientes, et alia huiusmodi.

3. DE LEGIBUS, SIVE PARTICULARIS SIVE UNIVERSALIBUS, PRAESCRIPTIS CODICIS OPPOSITIS. Haec regula statuitur n. 1° omnes abrogantur, nisi de particularibus aliud expresse caveatur. Circa quod notari oportet: a) lex dicitur universalis si in toto territorio, particularis si in parte territorii obliget; generalis, si condita pro omnibus fidelibus singularis, si pro coetu fidelium. Attamen aliquando universalis et generalis, particularis et singularis indistincte accipiuntur, et ita accidit in hoc casu: quaelibet ergo leges pro omnibus latae, si oppositae Codici inveniantur vim amisserunt. Et ratio patet, nam si lex quae pro omnibus conditur aliam anteriorem oppositam inveniat et eam non obrogaverit, postrema lex esset prorsus inutilis. Non eadem est ratio de legibus particularibus, nam hae possunt utique observari in locis aut a personis pro quibus latae sunt, et lex universalis contraria potest optime consistere pro ceteris omnibus; b) agitur de veris legibus, non de privilegiis, praeceptis etc., et etiam hic comprehenduntur normae illae quae saltem legis naturam induere seu ad ipsam elevari possunt, ut statuta capitularia aut confraternitatis, tabulae fundationales, etc. (cfr. Toso, p. 20, Cicognani, p. 41); c) a quocumque leges proveniant, regula applicatur, sive S. Sedes eas condiderit, sive inferiores, quia hi possunt aliquid praeter, non contra ius commune statuere; d) si ex parte tantum opponantur, ex parte vim amittunt; et ita Commissio declaravit ex parte qua Codici opponebatur, quoad modum nempe nominandi administratorem, sede vacante, Conc. Plen. Baltimorense vim amisisse (A.A.S. 1919, p. 7); e) ut dictum est, comprehenduntur sub hac regula etiam leges particulares, quae, nisi expresse memoratae, non comprehenderentur, nam haec in usu erat regulae Bonif.VIII: "Licet Romanus Pontifex quae iura omnia in scrimio pectoris sui censetur habere, consti-

tutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta, (cum sint facti, et in facto consistant), potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter edi tam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare" (Cap. 1 de constitutionibus, I, 2, in Sext.). Et quoad leges futuras idem statuitur in can. 22; f) nisi de particularibus aliud expresse caveatur: hoc est, quamvis ex regula generali, etiam leges particulares vim amittant, aliquando legislator censuit leges particulares non abrogare, et est quando Codex aliud expresse cavet. Non sufficit erga si aliquis putet Codicem tacite aliud cavere. Cavetur per verba: "nisi aliud iure cautum fuerit", "salvo iure particulari", et similia. Circa vim horum verborum cfr. dicta ad Can. 5 suo n. 8.

4. DE CANONIBUS QUI IUS VETUS EX INTEGRO REFERUNT. (n. 2°). Ex Codice quidem vim accipiunt, sed cum sint quid iam prius in usu, aestimandi sunt iuxta ius vetus, et consequenter iuxta interpretationem receptam apud probatos auctores, quia ipsi sunt qui declarationem doctrinalem conficiunt, praeparant saepe autenticam et usualem, aut saltem ipsas colligunt et de iisdem testificantur. Probati auctores sunt qui communiter citantur quando sermo est de sensu legis, catholici, probi, et praesertim si allegantur in disceptationibus et resolutionibus Curiae Romae.

5. DE CANONIBUS QUI EX PARTE CONGRUUNT, EX PARTE DISCREPANT A IURE VETERI (n. 3°). Ex parte qua congruunt, ex veteri iure aestimandi sunt, ut dictum est in n° praecedenti; ex parte qua discrepant, ex ipsorum sententia diiudicandi sunt, iuxta regulas in c.c. 18, 19 traditas.

6. IN DUBIO DE DISCREPANTIA a veteri iure, ab hoc in interpretatione non est recedendum (n. 4°). Dubium de quo agitur est dubium positivum, seu quando rationes pro et contra habentur. Discrepantia esse debet positiva, seu quando canon aliud praecipit ac ius vetus, non

autem negativa, seu quando ius vetus nec explicite nec implicite in can. continetur. In hoc postremo casu regulatur can. normis in n. 6° traditis (Cfr. Vermeersch, p. 50). Correctio est quid odiosum, ideoque non praesumitur.

7. DE POENIS IN CODICE NON MEMORATIS (n. 5°). De poenis statuitur sub generaliori forma: omnes quarum in Codice nulla fit mentio, tamquam abrogatas haberi debent. Ideoque, licet inveniantur in libris liturgicis, vim amisserunt. Abrogantur poenae statutae pro omnibus fidelibus, aut pro universam fidelium classem, ex.gr. pro religiosis omnibus; aut pro aliquam religiosorum speciem: ex.gr. pro regularibus, si in Codice non memorentur, quia etiam ibidem statuuntur poenae ab his subeundae. Non autem poenae statutae pro aliqua religione vel communitate, quia haec quid omnino particulare representant. Quidam ulterius progrediuntur, ut Oietti (p. 67-8), propter generalia verba n. 5; ait enim: "Et nota, nullam in Codice fieri distinctionem inter leges poenales generales, an pro certis quibusdam locis vel personarum generibus specialiter aut etiam singulariter latis a suprema ecclesiastica auctoritate; sed omnes omnino comprehendi sub generali dictione poenae". Et quaerit in concreto de abrogatione excommunicationis""quae lata fuerat a Clemente XII adversus eos qui a bibliotheca quorumdam monachorum libros extraherent", ad quod affirmative, seu fuisse abrogatam respondit, si tamen in usu = ait, = quia in Const."Apostolicae Sedis" quae censuras latae sententiae collegerat, et ibidem non recensitas abrogaverat, excepit ab abrogatione censuras latas pro interno regimine religionum, et haec excommunicatio, iuxta ipsum auctorem, non erat pro interno regimine. Circa hanc excommunicationem contrariam tenet Commentarium pro Religiosis, et dicit argumenta petenda esse ex aliis fontibus ut appareat vel minus de abrogatione, ut si in desuetudinem abierat. Tamen, alia consideratio, ni fallor, adduci posset, tam circa hanc, quam circa alias similes poenas si inveniantur. Antiquitus non semel quando R. Pontifices legem aliquam pro religiosis condere valebant, non omnibus simul, sed arrepta occasione, praesertim in Capitulis generalibus communicabatur, specialiter vero in rebus plus minus odiosis,

quia privilegiis cautum erat per communicationem. Quid tunc? Lex tot imponebatur, ut regula generalis esset lex singulis lata, exceptio erat non extensio legis pro nonnullis; adeo ut lex posset dici religiosos afficere, aut in ipsorum favorem lata. Possetne quid simili dici de hac excommunicatione? Nam plures erant religiones in quibus statutum erat diversis temporibus a variis Summis Pontificibus. Sed quidquid sit, lex est saltem dubia.

8. DE LEGIBUS DISCIPLINARIBUS IN CODICE NON CONTENTIS. Can. 6, 6°, ita explicit: "Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis". Circa quod sequentia notanda sunt: a) Sub n° primo, quando sermo erat de legibus oppositis, etiam comprehendebantur leges particulares; hic tantum fit sermo de legibus, et ideo non veniunt leges particulares sub hoc n°, et consequenter, licet in Codice nec explicite nec implicite inveniantur, vim non amisserunt, sed vigent. Revera fundamento omnino non carent quae animadvertit Falco (p. 60 sqts), qui vult ex hoc ipso canone normam ad rem invenire, quod ut ipse fatetur non accidit, et propterea auctores confugiunt ad postremam partem can. 22 ut leges particulares non contrarias salvent. Quidquid sit, certum est has leges particulares manere: est sententia communis inter auctores, (licet non omnia argumenta ad probandum solida sint), et S. Sedes nonnullas leges particulares non oppositas in vigore declaravit (ut fecit Commissio circa decretum S.C.C. "Decorem domus Dei", 30 nov. 1910 de disciplina chorali in Urbe servanda, A.A.S. 1919, p. 476; etc.): b) ad hoc ut praescripta generalia in Codice non contenta vim amisserint, necesse est ut ageretur de veris legibus, quae nempe ex se fuerint perpetuae, non autem necessitatibus transitoriis respondentibus; et ita, in vigore manet praescriptum iuramentum contra modernismum in Encycl. "Pascendi", prout declaravit S. Officium, 22 mart. 1918; et decretum "Inter reliquas", de clericis servitio militari ligatis, prout declaravit S.C.de Religiosis, 15 iul. 1919; ambo enim necessitatibus transitoriis respondent. Sed hoc criterium a particularibus tuto

adhiberi non potest, quia etiam in Codice dispositiones transitoriae inveniuntur (cfr. can. 459 §.4); et ideo munus est legislatoris in dubio de permanentia (cfr. Falco, l.c. et Vermeersch, n. 54); c) si leges explicite aut implicite in Codice continentur, manent. Nec hoc criterium omnino firmum est pro particularibus interpretibus, quia alii diverse ab aliis verba praedicta accipiunt. Leges quae in canonibus iisdem aut aequipollentibus verbis assumptae sunt, vigent ut quid novum, non quia contineantur modis praedictis (Falco); explicite in alio aliquid continetur quod in eo actu formaliter existit, seu distincte et in se exprimitur; implicite, si in eo est veluti conclusio in praemissis (S. Thom. De Veritate, q. 14, a. 11, Noval: "Codificationis J.C. recensio historico-apologetica", Romae, 1918) Explicite continentur: Const. "Vacante Sede Apostolica", de electione R. Pontificis (c. 160); "Ordo servandus..." (c. 243 §. 1), etc.; implicite: Const. "Universa per Orbem", de diebus festis, (c. 339, §. 1); etc. (Cfr. Falco, p. 53-4; Cappello, n. 54); d) excipiuntur ab abrogatione leges quae inveniuntur in libris liturgicis; et nota quod non agitur in casu de legibus liturgicis ut quidam innuere videntur, ut Oietti, p. 68, quia de illis sermo fuit in can. 2, et insuper in hoc nº expresse dicitur: si qua ex ceteris disciplinaribus legibus...; nf si tamen sint oppositae (n. 1º) aut poenales (n. 5º); quibus in casibus non manent. Ratio manendi videtur esse propter arctam relationem cum iure liturgico; e) excluduntur etiam ab abrogatione leges divinae, ut planum est, quia ius divinum sive naturale sive positivum, ab humano legislatore supprimi nequit; f) denique, excluduntur ab abrogatione ex hoc canone consuetudines, ut dictum fuit ad can. 5, n. 10, seu canon de illis non agit.

C A N . 7

MATERIA. Monet de recto usu nominis S. Sedis vel Sedis Apostolicae, sub quo veniunt, non tantum R. Pontifex, sed Congregationes, Tribunalia et officia, per quae R. Pontifice negotia totius Ecclesiae expedire solet, nisi ex rei natura vel contextu sermonis aliud appareat. Sic, quando sermo fit de vacatione S. Apostolicae, tantum de R. Pontifice intelligitur; pariter, cum dicitur quod prima Sedes a nemine iudicatur, etc.

Dispensa 6. P. H. Suarez

TITULUS I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

1. DE IPSO TITULI NOMINE = Sub hoc titulo non agitur de lege in genere, nec de lege ecclesiastica sub omnibus modis; sed tantum quaedam fundamentaliora circa leges ecclesiasticas traduntur, in his praesertim quae a positiva voluntate ipsius ecclesiastici legislatoris pendent, vel in quibus confusio aliquando adesse poterat. Brevitatis gratia omittimus plura quae utiliter adici possent de natura legis in genere, et quae de cetero ex tractatu Philosophiae Moralis iam supponuntur: alia quae de ipsamet lege ecclesiastica ad moralistas pertinent, et notiones quae pariter ex Institutionibus generalibus supponuntur. Tamen, aliquid dicetur de praedictis, breviter quidem, arrepta occasione, ad cuiusque canonis intelligentiam, et ut notiones utiliores ob oculos habeantur.

2. ORDO CANONICUM HUIUS TITULI. Agitur imprimis de institutione et natura legum ecclesiasticarum (c. 8-9); postea de earumdem efficacia (c. 10-11); de subiecto passivo (c. 12-14), excusatione, etc. (c. 15-16), interpretatione (c. 17-19), supplendi modo (c. 20), cessatione (c. 21-23), et denique praeceptis quae singulis dantur (c. 24).

C A N . 8

1. = MATERIA. Agitur in §.1 de institutione legum ecclesiasticarum, et dicitur illas vere ut leges seu normas ad humanos regulandos dignosci cum per promulgationem fidelibus traduntur. In §. 2 dicitur leges praesumi territoriales, non personales.

2. = NOTIONES QUAEDAM: a) legis definitio: celebris est quae adhibetur a S. Thoma his verbis: "Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata". Est ergo lex quaedam regula et mensura actuum humanorum, ex se perpetua, et multitudini applicatur: in quo differt a praecepto quod ex se non est perpetuum, et uni aut paucis datur, ut in pluribus; b) promulgatio est actus quo legislator aucto

ritative populo normam denuntiat seu imponit; differt a divulgatione, quae, habetur cum lex iam promulgata diffunditur, et a notitia, quae cognitionem legis ex parte subditorum indicat. Disputant auctores an promulgatio sit de essentia legis vel tantum conditio sine qua non; S. Thomas rem ex professo non tractat, et commentatores diversa sentiunt circa eiusdem mentem. Codex hanc theoreticam quaestionem minime solvit; c) inter alias legis divisiones, memorantur; territorialis, quae subditos ligat seu afficit mediante territorio, et personalis, quae directe personas afficit independenter a territorio; universalis et particularis, prout obliget in toto territorio aut in parte tantum; generalis et singularis, prout omnibus fidelibus aut tantum aliquibus imponatur. Universalis et generalis, particularis et singularis, non semel indistincte usurpantur.

3. LEGES INSTITUUNTUR CUM PROMULGANTUR. Haec paragraphus ad litteram ex Gratiani Decreto (C. 3, D. IV) desumpta est. Ideoque, licet norma cognita et divulgata fuerit, ante promulgationem nullam vim habet. Ut hoc afficit quaslibet leges ecclesiasticas, a quocumque ecclesiastico legislatore proveniant.

4. LEX NON PRAESUMITUR PERSONALIS, SED TERRITORIALIS, NISI ALIUD CONSTET. Habetur ergo tantum praesumptio iuris, quae contrariae veritati interdum cedere potest. Haec praesumptio quae in praxi sub veteri iure inveniebatur, licet apertum omnino, ut nunc, praescriptum non haberetur, tantum applicatur legibus particularibus, non legibus universalibus, quia leges universales in toto territorio vigent, et ideo cunctas personas afficiunt ubicumque inveniantur (sic quoque Vermeersch, p. 62; alii, ut Maroto, Blat, Cocchi...;contrariunt sentiunt). Tamen, si aliquis legislator infra S. Sedem, legem pro toto suo territorio ferat, et hanc vocem universalem relate ad proprium territorium, distinctio, seu praesumptio applicari potest et debet, quia subditi non ubique ligantur, sed intra territorium legem ferentis. Ratio ad hanc praesumptionem in hoc canone stabiliendam est quia sufficienter ut in pluribus bono publico consulitur si leges quae ob peculiaria adiuncta in aliquo territorio conduntur ibidem serventur; et praete-

terae, si leges sint personales, maius est incommodum ex parte qua ligant, cum hae easibus adhaereant, et subditum ubique sequantur.

C A N . 9

1. MATERIA. Agitur de modo promulgandi leges quae a S. Sede conduntur, et de ipsarum legum vacatione.

2. JUS VETUS. Jam a pluribus saeculis leges saltem sollemniores Apostolicae Sedis promulgabantur per affixionem ad ingressum palatii Cancellariae, et ad valvas Basilicae Vaticanae et Lateranensis. Pius X in const. "Promulgandi", 29 sept. 1908, modus promulgationis, quem Codex refert, instituit.

3. DE MODO PROMULGANDI LEGES S. SEDIS IURE CODICIS. "Promulgantur per editionem in Actorum Ap. Sedis commentario officiali, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus". Hic agitur tantum de legibus emanatis a S. Sede, tam generalibus quam particularibus. De legibus episcopalibus dicitur alibi (cc. 335, 362); de aliis, ex.gr. in religionibus clericalibus exemptis, legumlatores cavere debent de modo promulgandi. Etiam comprehenduntur leges liturgicae. Ut obligent leges in A.A.Sedis non promulgatis, de voluntate aliter promulgandi constare debet.

4. DE VACATIONE LEGUM S. SEDIS. Lex per se ligat a momento promulgationis, sed aliquando legislator tempus determinat quo adhuc post promulgationem non ligat, ut subditi sufficienter possint legem cognoscere, et omnes simul de facto eius imperio subdantur. Tempus quod intercedit inter legis promulgationem et momentum quo ex voluntate legislatoris obligat, dicitur legem vacare. Leges S. Sedis vacant, ex regula generali, per tres menses, dicente canone: "vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta". Non consideratur ergo dies quo lex subsignata aut approbata fuit, sed dies qui apparet in fasciculi A.A.S.

fronte. Tempus supputari debet ad normam c. 34 §. 3 nn. 1° et 2° quia coincidit cum initio diei, nam consideratur dies appositus, non autem dies quo de facto A.A.S. in lucem editur. Et ita si fasciculus habeat in fronte dies 4 ianuarii lex obligare incipit expleta die 3 februarii, a media nocte qua incipit dies 4. Illico ligant definitiones dogmaticae, declarationes quaelibet iuris divini... Aliquando, si ita expediens iudicabitur longior aut brevior vacatio in propriis legibus S. Sedes determinabit. Codex per annum vacavit. Circa vacationem interpretationum legum, cfr. dicenda ad c. 17.

C A N . 10

1. MATERIA, ET IUS VETUS. Agitur de irretroactivitate legum, quae futura respiciunt, nisi de praeteritis nominatim caveatur. Lex est mensura actuum humanorum, et circa actus qui undequaque transierant nihil cavere potest; utique tamen circa effectus perseverantes actorum praeteritorum (cfr. dicta ad can. 4 de iure quaesito). Jam in iure romano cavevatur: "Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore et adhuc pendentibus negotiis cautum sit" (l. 7, C. I, 14). Idipsum repetitur et applicatur in iure Decretalium: "Cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad praeterita facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur" (13,X.I.2)

2. DE GENUINA NOTIONE IRRETROACTIVITATIS, EIUSQUE VI RELATE AD NEGOTIA PENDENTIA. Ut supra, ubi de iure quaesito, diximus, lex est fundamentum iuris et officii. Dum regulat actus humanos, tantum futuros respicit, et facta aut negotia iuridica in quibus aliquem interventum habeant; quoad praeterita regulare potest non ipsos actus, quia iam transierant, sed effectus perseverantes quatenus futuri actus humani circa praefata versari possunt. At praeter negotia futura de quibus disponit lex, et circa quae, servatis servandis, ius et officium temperat; praeter negotia praeterita quibus humana activitas applicata fuit, et ex quibus subditus fortasse ius

acquisivit, ex regula generali servandum a nova lege, alios casus invenire potest nova lex, in quibus activitas humana ita applicata fuerit ut omnino condiciones veteris legis undequaque peractae non fuerint, sed sint veluti in via pendeat adhuc negotium. Quid de istis negotiis adhuc pendentibus? Si nova lex nominatim non cavet de negotiis pendentibus, qualis applicari debet, vetus, quia nova retro non respicit, vel nova, quia invenit aliquid quod non est omnino retro, quia non adimplevit condiciones veteris legis, etc.? Ante omnia oporteret determinare quid veniat sub nomine negotii pendentis in diversis rebus; sic vitabuntur quae absolute tradunt nonnulli auctores: dum enim quidam asserunt legem novam nunquam tangere negotia pendentia, alii docent negotia pendentia regi absolute a lege nova. Intelligimus in genere sub nomine negotii pendentis illud quod incoepit, sed nondum explevit. (Cfr. Falco, p. 96 sqts.; Cietti, ad c. 10; Vermeersch, 67; Cappello p. 56). Sed negotium aliquod multipliciter potest pendere: in aliquo beneficio post expletam electionem, in praescriptione nondum expleta, in exspectativis, v.gr. circa successionem ab intestato" etc. In genere negotia duplicis generis distinguere oportet relate ad pendentiam: negotia quae plures actus habent qui consistere per seipsos valent, ut provisio beneficii per electionem, acceptationem, confirmationem, immissionem in possessionem; et negotia quae tractum habent successivum, ut consuetudo et praescriptio. In primo casu, nova lex tangere non debet actus iam peractos qui consistere valent, sed nihil impedit quominus alios qui adhuc sunt futuri regulet. Sed quid de praescriptione? Diversi diversa sentiunt. Quidam tenent in praescriptione nondum completa applicari debere nova lex(Falco, Vermeersch, Ojetti...) alii, praescriptionem expleri iuxta legem veterem (Cappello, in Sum. et "Jus Pont." 1924, p. 21); alii denique relate ad Codicem ergo leges anteriores confugiunt ad ius civile cuiusque nationis ad normam c. 1508 (cfr. S.R.Rota; Romana: Crediti, A.A.S. 1923, p. 524). Revera, lex non agit retro, sed futurum regulat. In consuetudine nondum praescripta et in praescriptione, si nova lex applicetur, putarem quod retro non agit, nam

lex anterior adhuc inveniebatur relate ad subditos ut facultas, "i cuius praescribere poterant, sed ius acquisitum nondum habebatur, et prima illa facultas per ulteriorem legem amittitur aut modificatur, ut saepe dictum est. Sit exemplum.

Statuitur hoc: qui in stadio currunt et sub debitis condicionibus veniunt ad metam, percipiant mille libellas. Qui ad metam non pervenerunt, nihil percipiunt. Die sequenti; duo millia libellarum offeruntur illis qui, inceepto cursu, illum debito modo perficiant; quaeritur, quid pro se afferre valent illi qui die praecedenti ad metam non pervenerunt, sed medium iter perfecerunt? Possunt hodie dicere se prius perfecisse dimidiam partem, ideoque in novo cursu incipere debere, non ab initio sicut ceteri, sed a medio itinere? Minime. Quid ergo simile videtur quod dici debeat de inceptis consuetudinibus et praescriptionibus, quin nemo iura sua laesa dicere possit, et absque ulla vera legis retroactivitate. In casibus particularibus difficultates certe quidem inveniri possunt ut sciatur an revera lex retro agat vel minus.

C A N . 11

1. MATERIA. Statuitur quaenam leges habendae sint irritantes aut inhabilitantes: eae nempe quibus actum esse nullum aut inhabilem personam expresse vel aequivalenter dicitur.

2. DE LEGIBUS IRRITANTIBUS ET INHABILITANTIBUS. - In veteri romanorum iure lex tantum censebatur perfecta, quando simul actus contrarios vetabat et irritabat. Lein de Theodosius (L. 5, C. I, 14) statuit omnes leges prohibentes actus reddere nullos. Hoc receptum fuit in iure canonico sub his verbis: "Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi" (Reg. 64.in.VI°). Sed cum esset satis rigida haec regula, alia in iure praevaluit ob In. III statuta: "Multa fieri prohibentur quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem" (c. 16, Decr. III, ss.)- Lex dicitur irritans quando actum a persona ponendo immediate afficit; inhabilitans, quando immediate afficit personam, et mediate actum. Actus qui irrita-

tur ille intelligitur qui aliis elementis essentialibus non caret, et persona quae dicitur inhabilis, habilis supponitur iure naturae (cfr. Vermeersch, n. 76). Insuper, non est lex irritans quae ponit conditiones validitatis actuum qui ex ipsa legis ordinatione existunt: seu leges quae ius condunt (cfr. Vermeersch, ibid.). Actus aliquando sunt ipso facto nulli; non semel requiritur sententia declaratoria nullitatis. Aliquando leges dicuntur rescissoriae, et tunc, licet actus non sint ipso iure invalidi, rescindi possunt a competenti auctoritate. Leges inhabilitantes et irritantes, licet ex se non sint poenales non semel hanc qualitatem induce solent (cfr. Ojetti, p. 98). Ad hoc enim ut hodie in iure canonico habeatur lex irritans aut inhabilitans, necesse est ut expresse vel aequivalenter statuatur. Nec criterio lato, sed stricto uti debemus, cum versemur in odiosis. Expresse habetur, cum lex iisdem verbis statuit hunc actum esse nullum, vel talem personam, seu quae in talibus versatur adiunctis esse inhabilem. Aequivalenter, cum idem diversis verbis significatur, ut dum dicitur impedimenta dirimentia obstare quominus matrimonium valide contrahatur, etc.

C A N . 12

1. MATERIA. Sermo est de subjecto passivo legis mere ecclesiasticae: dum dicitur quinam ipsa non tenentur, statuitur pariter quinam teneantur.

2. CONDITIONES UT QUIS LEGIBUS MERE ECCLESIASTICIS TENEATUR. Tria simul requiruntur: baptismum, sufficiens usus rationis et septennium expletum. a) Baptismum, quia baptismate homo constituitur persona in Ecclesia (c. 87); et sicut quaelibet societas tantum propriis subditis praecipere potest, ita pariter Ecclesia. Non excluduntur acatholici baptizati, quia fundamentum subiectionis habetur ex baptismo, nisi Ecclesia quoad aliqua eos excipiat, ut in can. 1099, circa formam celebrationis matrimonii. Baptismum intelligitur aquae, quia istud venit in recto usu verborum. Item validus; in foro interno, dubie baptizatus, legibus non tenetur, cum onera positiva in dubiis urgeri non debeant; in foro externo, si baptismum fuit collatum, et dubitatur de

eius validitate, validum praesumitur, ideoque iura et officia imponit; facta enim supponuntur rite facta. Si dubitetur de ipsa baptismi collatione, leges non urgent, quia stari debet pro libertate. - b) Sufficiens usus rationis: qui supponitur in illo qui capax est peccati mortalis. Nam non expedit ut ligentur, non tantum qui ligari nequeunt, ut omnino amentes, verum nec illi qui sufficienter ratione uti nequeunt, cum lex pro ipsis esset potius laqueus quam adiutorium. - c) Infra septennium, supponitur sufficienter rationis usum non adesse, ideoque, ut confusiones vitentur, regula generalis in illa aetate statuitur. Notetur in hoc canone agi de illis qui non tenentur, quod non est idem ac a lege excusari. Qui lege non tenetur, potest omnino de illa non curare; non autem qui excusatur hic et nunc, dum tamen habitualiter sub lege manet.

3. NISI ALIUD EXPRESSE CAVEATUR = Expresse cavetur, ut dictum est, de acatholicis in nonnullis casibus relate ad celebrationem matrimonii (c. 1099); iejunii lex non urget ante annum 21 (c. 1254); pueri, ab usu rationis tenentur praecepta annuae confessionis (c. 906) et paschalis communionis (c. 859).

C A N . 13

1. MATERIA = Agitur de subiecto passivo legum generalium et legum particularium, et res determinantur modo simili ac in iure veteri.

2. QUINAM LEGIBUS GENERALIBUS TENEANTUR = Circa legum divisiones quae ad rem faciunt, cfr. dicta ad cc. 6 et 8. Legibus generalibus tenentur ubique omnes pro quibus latae sunt. Si pro clericis latae, omnes clerici, si pro religiosis, religiosi, etc.

3. QUINAM TENEANTUR LEGIBUS LATIS PRO PECULIARI TERRITORIO: omnes pro quibus latae sunt, quique ibidem domicilium aut quasi-domicilium habent et simul actu in eodem loco commorantur. Attamen, prae oculis haberi debet circa rem can. sequens, circa peregrinos et vagos,

Circa domicilium et quasi-domicilium, cfr. c. 92 et sqts. Quaeri solet ab auctoribus sub hoc canone de aliqua quaestione quae ex aliis tractatibus supponitur, an nempe legislator teneatur propriis legibus; et respondetur cum S. Thoma (I-II, q. 96, art. 5, ad 3): tenetur directive, non autem coactive; hoc est, vi legis naturae expedit ut ipse scandalum non praeveat, et servet communem normam ordinentem in finem; si non fecerit, contra ipsam legem positivam non peccat, sed potius contra naturalem, nec punitur, quia nemo seipsum punit.

C A N . 14

1. MATERIA. Sermo est de peregrinis et magis relate ad legem.

2. QUANDONAM PEREGRINI ABSTRINGANTUR LEGIBUS PROPRII TERRITORII. Peregrinus ille dicitur qui versatur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet (c. 91). Ante Codicem discussio erat inter auctores an peregrini tenerentur legibus proprii territorii quandiu ab eo aberant, et pariter concordes non erant in determinando an tenerentur legibus particularibus territorii in quo actu versabantur. Codex utramque quaestionem solvit. Quoad primum statuit ex regula generali peregrinos non teneri legibus particularibus proprii territorii quamdiu ab eo absunt: et ratio est quia leges particulares quae dantur pro peculiari territorio, particularibus localibus necessitatibus respondent, et extra territorium praesumuntur huiusmodi necessitates non adesse. Excipiuntur tamen duo casus in quibus iisdem legibus tenentur extra territorium: a) si transgressio legis noxam evadat in territorio in quo lex illa particularis urget: ut ecce si lex vetet arma inimicis vendere, urget extra quia nocet in proprio territorio. Lex de residentia clerici: urget extra dioecesim, quam repetere tenetur, quia irresidentia venit in detrimentum beneficii, fidelium. Ideoque, quod nocet, semper vitari debet; b) si leges sint personales: et planum est, quia leges personales immediate afficiunt personam, et ipsam sequuntur quocumque ierit (§. I, n. 1°).

3. QUANDONAM PEREGRINI TENEANTUR LEGIBUS PARTICULARIBUS TERRITORII IN QUO VERSANTUR. Ex regula generali, pariter peregrini non tenentur legibus particularibus territorii in quo versantur; ratio est quia dantur necessitatibus illius territorii, quibus non subiacere consentur qui obiter tantum in territorio inveniuntur. Pariter hic duae exceptiones apponuntur, bono publico ita exigente, in quibus peregrini tenentur legibus particularibus territorii in quo versantur: a) tenentur legibus quae ordini publico consulunt. Quaenam sint huiusmodi leges non clare patet, nec auctores concordant. Aliqui tenent ordini publico consulere omnes leges poenales particulares (cfr. Maroto, n. 201, Toso, pag. 41), ex quibus aliqui videntur innuere tantum illas bono publico consulere. Sed potius dicendum videtur ~~videtur~~ nec omnes, nec solas leges poenales bono publico consulere; sed in genere illas quae dantur ad periculum seu damnum commune avertendum (cfr. Cappello, p. 69; Ojetti, p. 116; Eph. Theol. Lov., 1924, p. 153); - b) tenentur legibus quae actuum solemnia determinant, seu in genere, quae regulant contractus; in quo effatum locum habet: "locus regit actum".

4. QUANDO TENEANTUR PEREGRINI LEGIBUS GENERALIBUS. Licet in proprio territorio leges generales non vigeant, peregrini iisdem tenentur, quia hae conditae sunt pro omnibus fidelibus, et est quid per accidens si in proprio territorio non vigeant. Tamen, ex benigna concessione legislatoris, peregrini versantes in territorio ubi lex generalis non viget, eadem non tenentur: fruuntur ergo gratia illa territorii in quo versantur. Si lex generalis in proprio et in territorio in quo versantur vigeat, sed diverso modo, peregrinus potest observare legem prout in proprio territorio, cum ibidem invenitur, vel in alieno, si hic versetur, ad libitum, dummodo legem generalem uno vel altero modo adimpleat. Ita saltem de ieiunio quod in diversis locis diversis diebus servatur (in uno ex legitima translatione) declaravit S.C. Concilii in Namurcen. 15 febr. 1924.

5. DE VAGIS RELATE AD LEGES - Vagi sunt qui nullibi domicilium habent vel quasi-domicilium (c. 91). - Quoad leges generales, vagi semper iisdem tenetur, (si vigeant ubi inveniuntur) quia iis omnes, tenentur pro quibus latae sunt, ut dictum fuit in can. praeced. Quoad leges particulares, prius disputabatur (cfr. Ojetti, p. 118), sed iure Codicis tenentur omnibus legibus particularibus loci ubi inveniuntur; et merito quidem, nam proprium Ordinarium sortiuntur in loco in quo actu commorantur (c. 94 §. 2), et incolis assimilantur.

6. DE LEGIBUS PARTICULARIBUS IN LOCO EXEMPTO, RELATE AD SUBDITOS TERRITORII. Distinguere oportet: vel agitur de loco qui est intra territorium materialiter, sed non formaliter, seu locus est intra territorium, non tamen de territorio: ex.gr. locus Praslaturae vel Abbatiae nullius, qui forte circumdatus est territorio dioecesis; vel agitur de loco exempto qui est intra territorium, et de territorio: ex.gr. locus alicuis religionis exemptae. In primo casu subditus Episcopi ex.gr., est verus peregrinus, istiusque normis regulatur; non autem in secundo; et consequenter legibus particularibus Episcopi tenetur dum versatur intra locum religionis exemptae; haec enim loca - ut dictum est - sunt de territorio: episcopus plura in iisdem potest, quae non potest extra proprium territorium (cfr. cc. 792, 783, 1343, 2269): quod insuper patet ex notione exemptionis quae datur primario personis et intuitu personarum (cfr. c. 615). Cfr. circa rem Ojetti, p. 119, ubi opiniones speciales aliquorum invenies; quod Cappellum vide tamen eius postremam sententiam in Summa J.C., p. 70.

C A N . 15

1. MATERIA. Statuitur an et quomodo leges urgeant in dubio iuris aut facti.

2. DE LEGIBUS IN DUBIO IURIS. Dubium iuris habetur cum dubitatur de vero sensu legis, aut de eius existentia. Dubium intelligitur positivum et probabile, quando nempe rationes graves pro et contra habentur. In casu lex non urget quia cum sit regula ordinans actus humanos

in finem, si dubitetur de ipsa regula, nescimus de vero modo perveniendi in finem ex hoc capite: inde effatum: dubia lex, nulla lex; et aliud: lex dubia non obligat. Excipe tamen si dubitetur de revocatione legis praeexistentis: tunc enim non possidet libertas, sicut in casu de quo agitur, sed possidet lex. Cfr. dicenda ad can. 23. De lege dubia, cfr. pariter can. 209; et de eadem post authenticam declarationem cfr. dicenda ad can. 17. Expresse memorantur leges irritantes et inhabilitantes (cfr. c. 11), quia cum sint valde momentosae, dubium circa illas aliquis movere poterat.

3. = DE LEGIBUS IN DUBIO FACTI. Dubium facti habetur cum dubitatur de existentia ipsius facti requisiti a lege, vel de adimpletione omnium condicionum in ipso facto. Cave tamen ne credas cum nonnullis dubium facti haberi cum dubitatur an hoc factum veniat sub tali lege: potius enim tunc habetur dubium iuris, quia revera dubitatur de vero sensu legis, de eiusdem extensione. In dubio facti ex se lex urgeret vel minus prout in rei veritate factum extiterit vel non; sed ad anxietates tollendas, Codex determinat posse Ordinarium in illis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet. Et ita invalide Ordinarius dispensaret ex.gr. ad matrimonium ineundum in dubio facti de ordinatione sacerdotali, quia in his R. Pontifex dispensare non solet. Ordinarium intelligе ad normam can. 198.

C A N . 16

1. MATERIA. In can. praec. actum fuit de excusatione a lege ex parte ipsius legis; nunc autem ex parte illius qui legi subdi deberet, et determinatur an et quomodo excusent ignorantia et error.

2. NULLA IGNORANTIA LEGUM IRRITANTIUM AUT INHABILITANTIUM EXCUSAT AB EISDEM, NISI ALIUD EXPRESSE DICATUR. A lege excusari potest impotentia, ignorantia et metus, prout ab auctoribus exponitur; sed Codex hic tantum memorat ignorantiam, et quidem relate ad leges duplicis generis; et ratio ob quam dicitur in illis ex

regula generali nullam ignorantiam excusare, est quia maxime bono publico intersunt. Ignorantia, quae est carentia cognitionis in subiecto qui potest et debet talem cognitionem habere, plures patitur divisiones, ut notum est: invincibilis, vincibilis, et haec, simpliciter talis; crassa vel supina, affectata, etc. Nulla ergo a legibus irritantibus aut inhabilitantibus excusat, si aliud expresse non dicitur.

3. QUANDO NON PRAESUMUNTUR IGNORANTIA NEC ERROR. Nec ignorantia de qua dictum est n° praec., nec error qui est falsum iudicium de re = generatim praesumuntur in casibus sequentibus: a) circa legem aut poenam (ignorantia iuris); et ratio est quia lex promulgata est quid ex se omnino publicum, quod supponitur ab omnibus cognitum. Tamen potest accidere ut haec praesumptio cedere debeat veritati non semel; in militibus circa non nullas leges, in pueris, etc., potius praesumptio contraria statui posset. In iure romano feminae, rustici et milites praesumebantur ius ignorare; et in iure canonico semper etiam in nonnullis circumstantiis aut praesumptio stabat pro ignorantia, aut saltem faciliter contraria praesumptio evanescere poterat; b) circa ignorantiam facti multipliciter distinguitur; non praesumitur generatim circa factum proprium, quia omnes praesumuntur in memoria retinere quidquid peregerunt, nisi tamen agatur ex.gr. de facto non adeo momentoso et iamdiu peracto; c) circa factum alienum notorium nec quidem praesumitur ex regula generali, quia notoria omnino in cognitionem omnium supponuntur. Tamen, potest aliud demonstrari, ut ille qui erat extra locum, et post dies venit, et tempus adhuc cum aliis colloquendi non habuit, etc. Si in hoc casu factis notoriis applicare velis notionem traditam circa delicta notoria in c. 2197, excludas necesse est notoria notorietate iuris, quia haec optime a pluribus possunt ignorari, et ut in pluribus ignorantur (sic quoque Oietti, p. 132).

4. QUANDO IGNORANTIA ET ERROR PRAESUMUNTUR. Praesumuntur circa factum alienum non notorium, donec contrarium probetur. Idcoque in hoc casu habetur contraria praesumptio ac in praecedentibus; et ratio est quia

facta illa non ad omnium cognitionem ex se veniunt. Tamen, praesumptio removeri potest, ut ecce si sciatur Titium Caio astitisse dum hic factum non notorium peragebat.

C A N . 17

1. MATERIA. Agitur de authentica interpretatione legis eiusque vi.

2. INTERPRETATIONIS NOTIO ET DIVISIONES. Interpretatio in genere est explicatio sensus in lege contenti. Si proprie seu stricte sumatur, supponit sensum dubium aut obscurum; improprie, seu lato sensu, vocatur interpretatio (quae potius dicitur declaratio) quaelibet expositio legis etiam clarae.

Dividitur interpretatio multipliciter: a) ratione auctoris, in authenticam, quae fit a legislatore, vel ab eo cui potestas collata fuerit, doctrinalem, quae fit a particularibus in iure peritis; et usualem quae fit ex consuetudine; b) ex causa formali (prout nempe naturam seu formam legis mutet vel non), in comprehensionem, quae reditverum sensum legis; extensicam, quae legem extendit ad casum prius sub ipsa non comprehensum; et restrictivam, quae casum prius sub lege contentum excludit.

Cave ne confundas interpretationem extensivam cum interpretatione lata, nec restrictivam, cum stricta. Interpretatio lata habetur cum lex potest plures sensus habere, et maximum eligitur; et stricta, cum minimum tenetur intra eandem legem; dum extensiva et restrictiva egrediuntur extra ipsam legem; quod quidem in c. 19 prae oculis haberi debet; c) ratione formae, authentica fieri potest per modum legis, sententiae et rescripti; d) ratione medii adhibiti, in grammaticalem, logicam, systematicam, historicam.

3. QUINAM LEGES AUTHENTICE INTERPRETANTUR. Legislator, eius successor, et is cui potestas ab eisdem data fuerit. Legislator intelligitur quilibet in propriis aut praedecessorum legibus. Et si agatur de inferioribus, sicut a legibus, ita pariter ab interpretatione datur recursus. Interpretatio authentica, ut dictum manet, fieri potest per legem, per sententiam

a iudice competente, et per rescriptum illius cui facultas sit authentice rescribendi. Ad Codicis canones authentice interpretandos specialis habetur Commissio.

4. DE INTERPRETATIONE AUTHENTICA PER MODUM LEGIS. Imprimis vim eandem habet ac lex, et ratio est in promptu. Si verba legis in se certa declaret, non indiget promulgatione et valet retrorsum, non obstante c. 10. Et ratio est quia talis lex iam certa erat, et dubium quod habebatur erat parvi momenti, consequenter declaratio datur, non ob necessitatem, sed ad maiorem claritatem. In tribus tamen casibus talis interpretatio authentica debet promulgari et non valet retrorsum: a) si agatur de interpretatione extensiva; b) si de restrictiva; c) si de comprehensiva quidem, sed tamen quae explicet legem vere dubiam. In his tribus casibus interpretatio est vere nova lex (in duobus prioribus ex natura ipsius interpretationis, ut dictum fuit sub n. 2; et in tertio, quia lex dubia non urget, ut constat ex c. 15); consequenter, necessaria est promulgatio (c. 8 § 1), et non valet retrorsum (c. 10)

In tribus his casibus, si agatur de lege S. Sedis, vocare debet ad normam can. 9. Attamen, difficultates in praxi suboriri poterunt, ex.gr. quando agitur de supplendo iurisdictionem (cc. 15, 209); videtur quod statim ac dubium amplius non habeatur, iurisdictio non suppleatur.

5. DE INTERPRETATIONE DATA PER SENTENTIAM. Non habet vim legis, et tantum partes ligat. Et ita expedit, quia iudex legem interpretatur relate ad aliquod factum in concreto, facta autem vestita sunt circumstantiis quae diversam legis interpretationem seu applicationem variis in casibus postulare possunt. Afficit tantum personas et res de quibus est quaestio. Si agatur de iure concordatario, et lex sit vere dubia, videtur quod absque speciali commissione utriusque partis iudex unius partis sententiam proferre non valeat, quia in iure concordatario dubia resolvi debent a communi utriusque contrahentis consensu.

6. DE INTERPRETATIONE PER MODUM RESCRIPTI IN PE CULIARI. Pariter respicit tantum personas et casus de quibus est quaestio in eodem rescripto. Tamen, si uni-

formiter saepe detur, tuto ab aliis in praxi sequi poterit. Quando agitur de causis apud Romanas Congregationes, et in A.A.S. vulgantur, licet memoretur una dioec. ex.gr. Bononien., et ipsam directe afficiat, tuto sequi potest ab aliis ut norma, et hoc intendunt ipsae Congregationes, quae in similibus casibus respondere solent; detur decretum in Bononien., etc. Si dicatur in genere decretum, est pro omnibus. Si dicatur: Romana et aliarum. non semel intelligitur ut sit pro omnibus.

C A N . 18

1. MATERIA. Normae traduntur circa modum legem ecclesiasticam intelligendi, et quid simile ac in iure veteri statuitur. Haec normae adhibendae sunt impromis a privatis interpretibus; et pariter ab interpretibus veluti officialibus, nisi legislator ipse alias sequi voluerit, vel aliis alias expresse praescripserit.

2. DE PROPRIA VERBORUM SIGNIFICATIONE. Leges ante omnia intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam. Intelligitur significatio usualis et iuridica, non autem etymologica, quia aliud significare potest aliquod verbum, attenta origine, et aliud, attento usu apud auctores, apud Curias. Saepe significatio iuridica innuitur a legislatore ipso, ut nomen vagus (c. 91), Ordinarius (c. 198), et ita passim. Verba accipi debent in textu, seu prout iacent, et simul ex contextu aliorum quae praecedunt aut sequuntur, attenta materia de qua agitur. Nimia separatio verborum in praxi interpretationis obscuritati potius quam claritati favet. Si lex clara evadat, non licet alia interpretationis media quae sequuntur adhibere; si e contra dubia manserit aut obscura, ad alia est recurrendum, et quidem ex ordine, prout infra exponitur.

3. DE LOCIS CODICIS PARALLELIS. Sunt canones in quibus de eadem aut simile materia agitur. Cum legislatio supponatur quid harmonicum, et legislatorem in diversis similibus eadem praecipere, merito cum de vero sensu legis in aliquo loco dubitatur, ad loca parallela - si inveniantur - clariora confugiendum est.

Dispensa 8. P. F. Suarez

4. DE LEGIS FINE AC CIRCUMSTANTIIS. Si loca parallela non inveniantur, vel iis non obstantibus, adhuc desiderata claritas non apparuit, recurrendum est ad legis finem et circumstantias. Legis finis est ratio qua legislator movetur ad legem condendam; verum, finis legis non est ipsa lex, ideoque commentatores monent caute adhibendum esse hunc interpretationis criterium (cfr. Cicognani, p. 128; Oietti p. 144 sqts.; et alios passim). Attamen, nisi agatur de odiosis, optime adhiberi potest in correlativis (quae conceduntur viro, etiam uxori); in aequiparatis (electio et postulatio relate ad plura); in connexis (si potest instruere causam, etiam citare personas); in contentis (si potest dispensare, etiam commutare). Circumstantiae in quibus lex lata fuerit, etiam adiuvare poterunt ad sensum legis detegendum.

5. DE MENTE LEGISLATORIS. Tandem, postremo ad mentem legislatoris est recurrendum. Circa quod animadvertendum est: legislator in casu est qui legem condidit, non eius successor; mens inspici debet seu erui ex ipsa lege, non ex iis quae fortasse legislator privatim dixerit; legislator non est in casu qui legem paravit, ut Commissiones in Ordinatione, sed qui vere legem tulit. Et ita, dum asseritur materialem conditorem can. 1045 § 3 mentem in uno sensu circa casus occultos significasse, aliud, declaravit Com. Pontif. (A.A.S. 1 febr.1928) de vero illius sensu (cfr. "Perfice Munus", mense iulii 1927, p. 519). Denique animadverti debet criterium huius modi poni ultimo loco; consequenter probandi non sunt qui saepe et statim ad reconditam legislatoris mentem confugiunt.

C A N . 19

1. MATERIA. Agitur de interpretatione nonnullarum legum, illarum nempe, quae odiosae dicuntur, seu quae poenas statuunt, liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem continent a lege. Hae omnes strictae subsunt interpretationi.

2. JUS VETUS. Eadem quoad substantiam disponebat, ut habetur in R. 15 R.J. in VI°: "Odia restringi et favores convenit ampliari".

3. DE VERO SENSU HUIUS CANONIS. Notatur oportet in hoc canone sermonem fieri de interpretatione stricta, quae confundi non debet cum restrictiva, prout ex commentario ad can. 17 apparet; nec lata idem est ac extensiva. Ex eo quod hic stricta interpretatio statuatur, et consequenter lata vetetur, censet Falco (p.102), interpretationem extensivam haud prohiberi imo fieri ad eam posse recursum in praefatis legibus autumat. Attamen, circa hoc dicendum est: vel agitur de interpretatione authentica per modum legis, et tunc abs dubio dari potest interpretatio extensiva: legislator enim potest condere novam legem, aut extendere legem conditam. Sed si agatur de privata interpretatione - prout videtur agi ex verbis Falco - extendi non potest lex, in sensu quo adhibetur interpretatio extensiva a canonistis: etenim, qui praecipit minimum tenere in aliqua lege, a fortiori vult ut ad alios haec lex odiosa non extendatur. Ex.gr. dubitatur an lex poenalis agat tantum de homicidis, an etiam de percussoribus; interpretatio stricta petit ut poena in hoc casu statuta, tantum homicidis applicetur. Sed ex hoc, quis auderet legem hanc ad latrunculos extendere? Nec quidem inspecto fine legis aut mente et voluntate legislatoris; haec omnia considerari debent intra legem, non ad hoc ut extra eandem veniamus. Ideoque, libenter fatemur plures commentatores haud clare loqui dum canonem commentantur; sed in subjecta materia, iure veteri insuper inspecto, et praeterea attentis his quae aliis in locis dicuntur, in hoc canone vetatur directe interpretatio lata, et indirecte seu implicite, interpretatio extensiva.

4. DE LEGIBUS QUAE POENAM STATUUNT. In regula iuris 4° haec leguntur: "In poenis benignior est interpretatio facienda". Reiffenstuel (In Reg. Jur. in VI°) docet hanc regulam fallere in criminibus atrocioribus, in quibus severiora eligenda tenet. Etiam post Codicem huic sententiae adhaeret Blat (In l. I, n. 76) et iam citatus Falco. At immerito, ut communiter docent auctores; nam ubi lex non distinguit non est cur nos distinguere debeamus (cfr. Vermeersch-Creusen, op.cit. n.98).

5. DE LEGIBUS QUAE LIBERUM IURIUM EXERCITIUM COARCTANT. - Sunt in primis leges irritantes aut inhabilitantes (Oietti, p. 148). Insuper aliae quae etsi actum nullum non reddant aut inhabilem personam, coarctant aliquo modo ius omnibus christianis aut determinato illorum coetui concessum, ut ius sacramenta recipiendi, ius cohabitandi in coniugibus, etc.

6. DE LEGIBUS QUAE EXCEPTIONEM A LEGE CONTINENT. Haec locutio attente perpendenda est. Sane, si in una eademque lege exceptiones apponantur, exceptio potius quam nova lex erit modus legis. Ideoque per se requiritur ut agatur de lege diversa ulterius data. Hinc nonnulli docent (Vermeersch-Creusen, I, n. 28; Cappello, n. 86) hanc regulam applicari non posse in ipso Codice, relate ad canones qui exceptionem apponunt aliis generalioribus canonibus, cum Codex sit veluti unica lex, sed tantum ad leges post ipsum venturas. Attamen, relate ad ipsos Codicis canones, cum communiori sententia et praxi contrarium tenemus; Codex enim, etsi sub aliquo respectu sit una lex, re quidem vera multiplices leges amplectitur, imo, cunctas Ecclesiae leges, sub aliquo saltem respectu, tempore promulgationis amplectebatur; ideoque necessarium, seu valde expediens est ut in eodem eadem norma applicetur.

Denique, oblivisci haud debet, canonem agere de legibus. Quando sermo est de rescriptis et privilegiis prae oculis haberi debent cc. 50, 67, 68. Insuper, sunt leges quae semper favorabiles censentur, ideoque late interpretandae sunt, ut leges latae in favorem religionis (S.C. de P. Fide, 2 iul. 1827). Pariter, si lex considerari possit ex parte ut favorabilis, ex parte odiosa, si separatio possibilis sit, utraque interpretatio est adhibenda. Ut lex dicta privilegium canonis: ex parte immunitatis clericorum, late interpretanda est, ex parte poenae violatoribus applicandae stricte.

C A N . 20

1. MATERIA. Agitur de modis supplendi lacunas iuridicas. Non adeo faciliter potest legislator cuncta praevidere, et ne in aliquo casu norma desit, regulas ad eam inveniendam tradit. Cum ergo certa de re non ha-

beatur praescriptum recurrendum est, nisi agatur de poenis applicandis, ad leges latas in similibus, ad iuris generalia principia cum aequitate canonica servata, ad stylum et praxim Romanae Curiae, et ad communem, constantemque doctorum sententiam.

2. JUS VETUS. In Codice huic canoni fontes non assignantur, quia revera non inveniebatur fons - inter illos qui in Codice citari solent - ita expresse hoc statuente. Attamen, in usu erant, ut ex infra dicendis, et ex natura rerum, apparet, quae hic dicuntur.

3. QUAEDAM GENERALIA QUOAD SENSUM HUIUS CANONIS. a) In primis animadvertendum est circa verba si certa de re desit expressum praescriptum...hoc est, si iuris norma desit ad aliquid in concreto sensu lato peragendum; quaeritur; et si norma desit non tantum certa de re, sed etiam in casibus generalibus, seu pluribus de rebus? Idem dicendum videtur, cum hi sint veluti series casuum particularium; et aliunde legislatoris mens patet; voluit enim cunctis lacunis providere, si providet alicui casui particulari, et non indigentiis generalioribus, videretur agere tanquam minus sapiens; b) non statim ac aliqua de re desit expressum legis praescriptum ad lacunam implendam est recurrendum, cum saepe de veris lacunis non agatur, sed de aliquo praescripto quod habet limites a legislatore scienter statutos, nec ad alios extendi voluit. Et ita, ex eo quod laici qui ecclesiae quotidie deserviunt matrimonium contrahere non vetantur, nemo potest in casu loqui de lacuna iuridica, et ipsis applicare caelibatus legem qua ordinati in sacris tenentur, ea ratione ductus, quia nempe expedit ut etiam ipsi de divinis potius cogitent: legislator optime praevidit et eos sinit in libertate. Ad rem Oietti, de recursu per analogiam (p. 152): "ad hoc argumentum analogicum recte instituendum necesse est casum a lege omissum nullo modo fuisse ab ea praevisum (secus locus esset potius interpretationi extensivae, quam analogiae"; c) desumere norma in casibus iisdem, non est potestativum, sed obligatorium, cum legislator per hunc canonem legem aliquo modo iam designaverit; d) recursus fieri debet ex ordine hic assignato: hoc ostenditur, inter alia, quia ordo legislatoris mentem in casu probabiliorem ostendit, et haec manifestatur in primis per ea quae in similibus praescripsit,

deinde; per principia iuris quibus leges ab ipso haurian tur seu informantur, etc.; e) ut planum est, lacuna inveniri potest sive agatur de legibus generalibus sive de particularibus; f) in duobus prioribus casibus sermo est de analogia: quae vocari solet ubi de legibus, analogia legis, et ubi de principiis iuridicis, analogia iuris.

4. NISI AGATUR DE POENIS APPLICANDIS. Quamvis hic tantum poenae memorentur, merito auctores concludunt de aliis, ut erui potest ex cc. 11 et 19 (cfr. commentarium in praed. canones); Lacuna non impletur, seu legis defectus non suppletur ubi sermo est de poena, incapacitate, irritatione et exceptione (cfr. Cappello, n. 90; D'Angelo: "Jus Dig.", p. 190)

5. DE LEGIBUS LATIS IN SIMILIBUS. Et ratio est quia praesumitur legislatorem in similibus similia praescribere: "ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio" (Glossa, ad c. 3, X, I, 2). Leges huiusmodi sunt leges ecclesiasticae, non leges civiles, quia hae aliquando statuunt in similibus quid omnino fugiendum, nec Codex quaerit quid legislator civilis facturus esset in casu, sed quid, legislator ecclesiasticus. Necesse est ut agatur de legibus vigentibus, aut etiam de illis quae amplius iam non vigent? Si leges adhuc vigentes inveniantur, melius est ad ipsas recurrere, imo hoc fieri debet, cum actu de mente nos edoceant; si autem vigentes non habeantur, sed aliquando habitae fuerunt, distinguendum videtur: aut hae leges evanuerunt quia obsoletae, vel irrationabiles, etc. evaserunt, aut revocatae a legislatore tamquam non utiles, etc., et tunc ad ipsas non est recurrendum, quia quod noxum aut irrationabile est sequi non debet. Aut agebatur de legibus quae non evanuerunt propter aliquid veluti vitiosum, sed tantum quia latae erant propter specialia adiuncta, quibus ablatis, lex ablata fuit. In hoc casu adhuc lex esse potest rationabilis, ideoque nihil vetat quominus ad ipsam recurratur.

Haec analogia locum habet praesertim in correlativis: prohibetur res ecclesiasticas vendere, ergo etiam emere, datur viro facultas divortium quoad thorum instituendi ratione adulterii uxoris, ergo etiam datur uxori ob viri adulterium; in aequiparatis: exigitur consensus

in matrimonio ineundo, ergo etiam in contrahendis sponsalibus; in connexis: possunt fideles iuxta intercedente causa sacramenta petere ab excommunicato, ergo hic potest tunc sacramenta ministrare.

6. DE GENERALIBUS IURIS PRINCIPIIS. De cuiusnam iuris principiis in hoc canone agitur? Quia dantur principia generaliora iuris naturae, principia iuris romani, quae ut regulae continentur separatim in Corpore Juris Civilis, principia iuris canonici, quae pariter ut regulae continentur in VI° Decretalium, principia iuris civilis, quae adhibentur communiter ab hodiernis civilistis, principia alicuius iuris civilis, quae veluti totum illud ius pervadunt, et ex eodem pariter in forma regularum veluti fluunt, et principia seu regulae quae ex eodum Codice oriuntur. Revera auctores minime sunt circa rem concordes. Intelligi non debent principia alicuius iuris civilis, imo et principia plurima a civilistis communiter adhibita, inter alia, quia saepe repugnant veris iuris canonici principiis: ut ex principio aequalitatis ecclesiasticas immutatas negant, etc. Nec principia quae educi valent ex solo Codice, quia potius recursus fieret ad leges similes, nec principia solius iuris naturae, quia haec saepe sunt valde indeterminata, et praeterea ex illis mediante discursu, ad omnia conclusiones educi possunt, et ideo inutiles essent fontes suppletorii in duobus sequentibus casibus a canone determinati. Nec hodie fundamentum solidum habemus ad ius romanum ut fons suppletorius adhibendum. Consequenter, intelligenda videntur iuris principia quae, educta ex ipsis naturae principiis, sive directe sive mediate quatenus in romanorum iure continebantur, a ratione humana, et in concreto a canonistis, elaborata fuerunt, et quae continentur praesertim inter regulas iuris in VI°, vel extra ipsum, sed communiter ab omnibus IURISTIS adhibentur. Verum regulae iuris cautae applicandae sunt, quia saepe fallunt, seu habent exceptiones.

7. DE AEQUITATE CANONICA. Principia illa servari debent cum aequitate canonica. Quid vero sit aequitas canonica non statim apparet, et auctores de huius genuina natura disputant. Aequitas est veluti iuris fundamentum, sed in genere indicat quod iustum est ex parte quae veluti respicit misericordiam, benignitatem, et

romani cum eadem, praesertim Praetor, iuris civilis rigiditatem temperare solebant. In casu verba illa significare videntur principia, si forte rigidiora, temperanda esse misericordia, aut applicanda illis indigentibus pariter cum misericordia, et non qualibet, sed prout adhiberi solet a legislatore, iudicibus, administris ecclesiasticis.

8. DE STYLO ET PRAXI CURIAE ROMANAE. Stylus significat procedendi modus, et praxis est veluti iurisprudentia iam inducta. Comprehenduntur sub nomine Curiae Romanae, Congregationes, Officia et Tribunalia S. Sedis. Aliquando praxis constat in documentis seu collectionibus publici iuris factis; ut in Collectione authentica Decretorum S.C.Rituum, in Thesauro S.C.Concilii, in Decissionibus S.R. Rotae. Cum quotidie S. Sedes debeat negotia diversissima pertractare, faciliter cognoscit de casibus quae nonnisi per raro eveniunt et semel peractis ad ulteriora procedit iuxta prius acta, et ita stylus et praxis. Utiliter cognoscuntur, non tantum ad lacunas implendas, verum et ad ordinaria negotia pertractanda, et practicam legum interpretationem hauriendam.

9. DE COMMUNI CONSTANTIQUE SENTENTIA DOCTORUM. Communis sententia non idem est ac unanimis; illa saepe obtineri potest, haec non adeo faciliter. "Communem eam sententiam accipimus quam tenent sex graves doctores rem ex professo tractantes" (D'Annibale, "Summula...I, n. 129). Agitur enim de iurisprudentia. Haec communis sententia esse debet insuper constans, quia si interrupta aut amissa seu relicta fuit, signum est quod solido fundamento carebat, et ideo basis iuridica ad alia esse nequit. Doctores de quibus est sermo illi intelliguntur qui rem canonicam e solidis catholicis et naturalibus principiis evolvunt; quia licet communis sit sententia acatholicorum circa aliquam rem canonicam, quae tamen sanis principiis adversetur, haec, uti patet, nedum haud sequenda, impugnanda et fugienda est.

C A N . 21.

1. MATERIA. Agitur de non cessatione legis fundatae in praesumptione periculi, licet in casu particulari periculum absit.

2. DE CESSATIONE LEGIS AB INTRINSECO. Lex potest cessare ab intrinseco, si ipsamet corruat, vel ab extrinseco, per actum nempe positivum legislatoris, aut per consuetudinem contrariam, vel desuetudinem. Cessat ab intrinseco si finis cessaverit, hoc est, si amplius boni communis non habeat rationem: sub hoc enim respectu lex datur. Finis potest cessare adaequate, si sub omnibus respectis, inadaequate, si tantum sub aliquo respectu cessaverit: ex.gr., lex quae ordinat praeces ad impetrandam pluviam et pacem, si alterutrum consequatur, finis cessavit inadaequate, et lex adhuc urget, si utrumque consequatur, cessavit adaequate, nec amplius urget. Finis cessare potest contrarie, si nempe lex evadat pro omnibus noxia, impossibilis aut iniusta; et tunc ipsamet lex cessat, ut planum est. Vel potest cessare negative, si nempe, inutilis evadat: si hoc fiat adaequate et pro tota communitate, lex cessat: ut ecce,in exemplo prius allato, si obtenta fuerit pluvia et pax. Vel potest cessare dontrarie finis, non pro omnibus, sed in casu peculiari: et tuno lex non cessat, quia leges dantur pro communitate, attento bono communi, et dum ratio boni communis habetur, lex urget singulis. Hoc est quod ex parte statuitur in hoc canone: legislator enim scientificam legum notionem non tradit, sed ea statuit quae utiliora sunt, et de quibus dubium exoriri potest. Ad cuius pleniorem intelligentiam nota quod aliquando dantur leges ad praecavendum periculum generale, et dicuntur fundatae in praesumptione periculi; aliquando, ob praesumptum factum, et dicuntur fundatae in praesumptione facti. Primae urgent, licet in casu particulari periculum non adsit, ob rationem iam dictam, et insuper,quia periculosum esset si cuiusquisque debeat diiudicare de proprio periculo; et ita, ex.gr., urget lex quae vetat lectionem libri alicuius, licet pro aliquo fidele periculum non adsit. E contra de lege fundata in praesumptione facti: in casu particulari urget vel non, prout factum habeatur vel minus: ut ecce si lex detur contra milites qui in irruptionem alicuius civitatis templa profanaverint; qui templa non profanaverint, poenis statutis contra profanatores non tenentur,

C A N . 22

1. MATERIA. Agitur de cessatione legis ecclesiasticae ab extrinseco per voluntatem legislatoris, et dispositiones veteris iuris statuuntur.

2. DE OBROGATIONE LEGIS PRIORIS. Legislator dicitur legem abrogare quando directe eam tollit; derogare, cum eam ex parte revocat, obrogare, cum priorem per posteriorem contrariam tollit. In canone hoc statuitur: lex posterior, a competenti auctoritate lata (hoc est ab eodem legislatore, Superiore aut successore), obrogat priori in tribus casibus: 1° si id expresse edicat: quo in casu nulla habetur difficultas, et habetur expressa revocatio; 2°; si fuerit priori directe contraria; quia duae leges contrariae simul constare nequeunt, et praevalere debet ultima legislatoris determinatio. Quod intelligendum est de legibus eiusdem extensionis, propter statim dicenda (Cfr. Passerinus in c. de const. in VI°, n. 119; citatur ab Ojetti, p. 158, nota); 3°, si totam ex integro ordinet legis prioris materiam, in hoc, sicut in casu praecedente, voluntas tacita legislatoris apparet legem revocandi, nam qui ex integro aliquid ordinat, vult in nova materia ordinata quid unicum dare subditis.

3. EXCEPTIONES. Prioribus dispositionibus exceptiones opponuntur. In primis firmum manere dicitur quod statutum fuit in c. 6, n. 1 relate ad Codicem erga ius vetus, ubi non salvatur exceptio hic apponenda. Et haec exceptio quam can. 22 statuit est: lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularum statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur. Circa hoc cfr. verba Bonif. VIII in com. ad can. 6, n. 3. Accidit enim saepe quod non expediat legem generalem in nonnullis locis applicare; ideoque particularia statuta salvantur, sive agatur de legibus particularibus a S. Sede pro illo territorio emanatis, sive de statutis pro determinato coetu fidelium, sive de illo quod obtentum fuit ex legitima praescriptione, sive, ut postea dicetur, de consuetudine et privilegio. Nisi tamen in lege illa generali aliud statuatur, nam tunc, ut planum est, ipsi stari oportet, ut si dicat "contrariis quibuscumque non

obstantibus", vel quid simile, nam tunc lex generalis vim explet contra quaelibet particularia statuta.

C A N . 23

1. MATERIA. Agitur de dubio revocationis legis praeexistentis, quod non praesumitur, sed conciliari debet, quod fieri possit, cum posteriori.

2. RATIO HUIUS CANONIS. Postquam in can. praecedente traditae fuerunt regulae circa legis cessationem ex voluntate legislatoris, hic memorari oportebat quid faciendum si dubium habeatur de revocatione prioris legis. In can. 15 dictum fuit quomodo in dubio iuris leges non urgeant, sed possidet libertas; hic e contra possidet lex, quia scimus illam aliquando certe viguisse, et cum lex datur ad bonum commune, supponitur illam manere, si positive dubitetur de revocatione, hoc est, si argumenta pro et contra solida habeantur, quia pariter supponitur adhuc bonum commune urgere, et revocatio legis, quae ex se est perpetua est quid odiosum. Hinc can. statuit iuri veteri confirmiter (c. 29, I, 6, in VI°): in dubio revocatio legis non praesumi, sed leges posteriores, quoad fieri possit, cum prioribus sunt conciliandae.

C A N . 24

1. MATERIA. Expletis quaestionibus quas circa legem expediens iudicavit pertractare legislator, agit sub eodem titulo de aliquo similitudinem quamdam cum lege praeseferente, nempe de praecepto; circa quod nec quidem scientificam notionem tradit, sed aliqua practice statuit, de quibus antea certa omnino non habebatur norma, sed discussio erat inter auctores. Sermo fit tantum de praeceptis singulis datis.

2. PRAECEPTI NOTIO ET DIVISIO. Praeceptum etiam est iussum aliquod, sed multipliciter differt a lege: quia potest provenire non tantum a Superiore habente potestatem iurisdictionis sed etiam ab habentibus potestatem dominativam, oeconomicam....; ex se praeceptum est temporale, potius respicit bonum particulare aut privatum quam commune etc. Circa praecepti divisionem

adhuc claritas in auctoribus desideratur. Dividi solet in particulare et generale seu commune. Praeceptum particulare, quod etiam dicitur singulis datum, illud communiter ab auctoribus intelligitur quod uni, aut ad summum paucis, datur; et praeceptum commune seu generale, quod datur toti communitati, aut saltem pluribus. Sane, si admittatur quod praeceptum particulare simul pluribus dari possit, dummodo non sint multi, non apparet ratio distinctionis praeceptorum, quia magis et minus non mutant speciem. Et ita, si in aliqua communitate religiosa praeceptum detur tribus ex viginti membris, erit particulare, si omnibus, generale: non apparet - inquam - ratio distinctionis. Hinc est quod aliqui praeceptum nominent particulare si directe et immediate afficiat personas, sive sint paucae, sive plures; et generale si directe et immediate communitatem afficiat (cfr. Cappello, p. 86). Quidquid sit, clare hodie constat de praecepto quod alicui in concreto datur, prout ex sequentibus apparebit.

3. DE PRAECEPTO PARTICULARE EXTRA TERRITORIUM PRAECIPIENTIS. Ante Codicem quaestio erat inter auctores an huiusmodi praeceptum vim amittaret extra territorium; hodie clare constat: ubique urget.

4. QUANDO POTEST URGERI IN IUDICIO. In iudicio urgeri nequit tale praeceptum, nisi impositum fuerit per legitimum documentum aut coram duobus testibus. Legitimum documentum illud dicitur quod iure aut consuetudine tale reputatur, ut exaratum cum debita subsignatione et sigillo. Duo testes sunt pariter ad actus sollemnia, si primum non habeatur; iis adhibitis mediis, probari potest in iudicio (cfr. cc. 1813, 1816, 1791). Si ita impositum non fuerit praeceptum, non sequitur ut tantum in foro interno obliget, ut aliquis putat; sed adhuc urgeri potest in foro externo non iudiciali; nec dicas differentiam ad nihilum reduci: non est verum; sunt enim poenae quae tantum imponi possunt in iudicio; et si proveniant ex violatione praecepti ita datum ut in iudicio urgeri valeat, poenae possunt imponi, secus, non. Religiosus sollemniter professus in religione clericali exempta dimitti nequit absque processu iudiciali;

praecessisse debent delicta; si praeceptum poenale transgreditur, sed modis dictis non impositum, non potest dimitti; utique puniri (cfr. Maroto, n. 267).

5. DE PRAECEPTO PARTICULARI RESOLUTO IURE PRAECIPIENTIS. Antea, pariter disputabatur de eius permanentia, hodie ex regula generali vim amittit si potestas praecipientis quoquo modo cessaverit, quia cum praeceptum ex se sit temporale, expedit ut ultra terminos imponentis non protrahatur: Tamen, potest accidere ut aliud expediat, hoc est, ut praeceptum manseat independenter a cessatione imponentis: et manet si impositum per legitimum documentum aut coram duobus testibus, ut in nº praecedenti dictum est.

6. DE PRAECEPTO GENERALI. Nihil de illo cavetur in canone. Ideoque iuri veteri stari oportet, et inspiciendum est singulis casibus an potius sit lex quam praeceptum, quo in casu vinculum legis sequitur; et si verum sit praeceptum, an personas vel communitatem qua talem respiciat.

TITULUS II

DE CONSUETUDINE

1. DE IPSO TITULO. Absoluto tractatu de legibus Codex accedit ad alium similem institutum, ad consuetudinem nempe, quae etiamsi non sit lex modo superius dicto, vim tamen legis obtinet seu habet. Hic repetenda sunt quae non semel iam diximus: Codex scientificus tractatus non est, sed practicus; ideoque nec de consuetudine integram tractationem exhibet, sed sufficientem pro praxi, et praesertim dubia aliaque quae inter auctores prius agitabantur, practice solvit.

2. NOTAE HISTORICAE. Consuetudo fuit prima norma positivo-humana quae actiones omnium populorum regulavit: semper enim recursus fit antiquis temporibus ad ea quae a maioribus recepta fuerant, dum oportet necessitatibus, exiguis quidem relate ad hodiernas, quolibet modo occurrere (Cfr. Maximi: "Introductio in Gaii et Justiniani Institutiones", p. 41; Maroto, p. 266). Sed institutum consuetudinis iuridicae praesertim elaboratum fuit ab antiquis romanis, qui pariter initio nulla alia positiva lege usi sunt, sed quaelibet gens, quaelibet familia, praesertim in iure privato, moribus, usibus a maioribus receptis gubernatur (Cfr. D'Angelo: "Jus Digestorum", n. 118; Maximi, ibid.; Bonfante: "Istituzioni di Diritto Romano", ed. 8a., § 52, etc.; Cicognani, p. 153). Quod postea etiam in iure publico obtinet, et observatur licet iam quamplurimae aliae normae positivae invenirentur. Et optime quidem, nam populus legem ferebat, et idem erat si voluntatem manifestabat suffragio in comitiis, aut factis quotidie, modo determinato agens. Ad rem Iurisconsultus Julianus: "De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet quod moribus et consuetudine inductum est.... Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, et hoc est ius quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsae leges nulla alia causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt, merito et ea quae sine ullo scripto populus probabit, tenebunt omnes; nam quid interest, suf-

fragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis?" (L. 2 D. 1. 3). Et ipsemet ait: "Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur". Sed cum paulatim omnia pene Imperatores inventa sunt, etiam consuetudinem regulandam susceperunt, et Constantinus scripsit (a. 319): "Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem" (L. 2. C. 8. 53). Quae verba a criticis hodiernis diversimode explicantur, ut alios textus Corp. Jur. Civ. salvari possint (cfr. Ferrini: "Pandette", nn. 16-17; Bonfante, op.cit., § 7; D'Angelo op.cit. p. 85; Cicognani, p. 153).

Ecclesia semper maxima veneratione prosequuta est mores, usus, consuetudines a maioribus receptos. Priori bus saeculis, cum dubia de aliqua re oriebantur, recursus fit ad consuetudinem; in celebri controversia de baptismo haereticorum, utraque pars ad consuetudinem confugit. Imo, plura habemus hodie in Ecclesia a veris legibus regulata, quae aliam originem praeter consuetudinem non profitentur; et vi ipsius consuetudinis ecclesiasticae auctoritates illorum observantiam urgebant. Sint exempla ieiunium quadragesimale et ecclesiasticus caelibatus (cfr. Wernz, t. I, tit. IX, § 2). Certum est quod antiquitus in Ecclesia consuetudo recepta fuit potius ut fons suppletorius, quam ut iuris praeexistentis abrogativa: influxum in hoc exercuerunt supra relata verba Constantini. Attamen, theoria et praxis contraria paulatim invaluerunt, ut iam innuit Gratianus (c. 3. D. IV), quamvis alibi potius aliud doceat (c. 4. D. XI); sed aperte confirmatur a Greg. IX, c. 11, I. 4, et consuetudo vim habet etiam contra legem. Quaestio momentosa deinde orta fuit, an nempe consuetudo praevalere posset contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini; ad quod hodie absque dubio affirmative respondetur (cfr. Wernz, n. 194).

3. CONSUETUDO ET PRAESCRIPTIO. Consuetudo, quae ita definiri posset: "Jus non scriptum diuturnis populi moribus cum aliquo legislatoris consensu introductum" (cfr. Maroto, n. 248, ex Busquet), confundi non debet: a) cum iure tradito; ius non scriptum est genus quod sub

se continet duas species: ius consuetudinarium, et ius traditum; postremum inductum fuit, non moribus fidelium, sed praescripto competentis Superioris, non tamen scripto sed vivae vocis oraculo, transmissum postea per ipsos fideles; b) nec quidem confundi debet consuetudo cum praescriptione, licet saepe sermo fieri debeat de consuetudine legitime praescripta. Praecipuae differentiae sunt sequentes: 1) consuetudo est institutum iuris publici, ideoque a communitate, non a privata persona induci potest; e contra, praescriptio locum habet etiam inter privatas personas; 2) praescriptio dat ius subjectivum, consuetudo cum habeat vim legis, ius objectivum determinat; 3) praescriptio fit contra aliquem; consuetudo contra neminem venit, nisi dicere velis esse aliquo modo contra illum qui ius habet legem condendi; 4) in praescriptione requiruntur titulus et bona fides, non autem in consuetudine.

4. DIVISIO CONSUETUDINIS. Imprimis consuetudo sumi potest tantum materialiter, et consistit in repetitione actuum, vel formaliter, et est consuetudo quatenus iam vim legis obtinuit; prima est facti, secunda iuris. Deinde multipliciter dividitur: a) ratione ambitus seu extensionis; in universalem et particularem, prout in tota Ecclesia aut tantum in aliqua parte vigeat. Alii diversas proponunt divisiones (cfr. Maroto, n. 250; Oietti, p. 168), praesertim in universalem, generalem et particularem, prout in tota Ecclesia, provincia aut inferiori loco vigeat; sed attento Codice, sufficit prima; b) relate ad legem: in secundum, praeter aut contra legem aut ius, prout legem interpretatur, supplet aut evertit; c) ratione temporis: in ordinariam seu longi temporis, centenariam et immemorabilem, prout initium habuerit ante 40 vel centum annos, aut initii memoria non existat; d) ratione modi: in iudicialem et extraiudicialem.

5. DE PROBATIONE CONSUETUDINIS. Consuetudo in genere cum sit aliquid facti et in facto consistat, probari debet ab allegante. Tamen, si sit notoria, probatione non indiget, ut communiter docent auctores. Secus probari debet saltem per duos testes fide dignos, aut per instrumenta publica, per statuta synodalia quae eam memorat, etc. Si agatur de immemorabili, testes probare de-

bent se consuetudinem observatam videsse saltem a 40 annis, et eodem modo a maioribus observatam audivisse. Et hoc sufficit ad hanc consuetudinem probandam, licet certo sciatur aliquo determinato tempore nondum incepisse.

6. ORDO CANONUM HUIUS TITULI. Agitur imprimis de causa efficiente consuetudinis, seu de consensu legislatoris (c. 25); deinde de subiecto qui potest consuetudinem inducere (c. 26); an et quomodo consuetudo contra ius induci valeat (c. 27); de consuetudine praeter legem (c. 28); de consuetudine secundum legem (c. 29); et denique, de cessatione consuetudinis ab extrinseco (c. 30).

C A N . 25

1. MATERIA. Agitur de causa efficiente consuetudinis, seu de illo a quo consuetudo in Ecclesia vim legis obtinere potest: unice vim obtinet a consensu competentis Superioris ecclesiastici.

2. RATIO HUIUS PRAESCRIPTI. Consuetudo vim legis obtinet; consequenter, ab illo approbari seu permitti potest qui potest legem condere. Pulchre ad rem S. Thomas (1-2, q. 97, a. 3 ad 3): "Si sit multitudo quae possit sibi legem facere, plus est consensu totius multitudinis ad aliquid observandum, quem consuetudo manifestat, quam auctoritas principis qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis; unde licet singulae personae non possint condere legem tamen, totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem vel legem a potestate superiore positam removendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis in quantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudini legem imponere". Inde est quod in iure romanorum consuetudo vim legis obtinebat, non praecise quatenus agebatur de factis materialibus ab ipso populo inductis, sed formaliter quatenus populus, qui erat verus legislator, consensum cum

ipsis factis praebebat, In Ecclesia vero potestas non residet in fidelibus, sed in Capite; ideoque, sicut competens auctoritas tantum legem condere valet, ita consuetudines permittere. Quaenam sit haec potestas, praeter Supremam, ab ipsamet Ecclesia determinatur. Erant igitur sectatores scholae historicae, ut Schulte, qui theoriam pro iuribus civilibus excogitatam circa causam efficientem consuetudinis, applicare volunt Ecclesiae, ita ut ius consuetudinarium unice proveniat a fidelibus veluti persuasione iuridicae conscientiae indutis (Cfr. Wernz, I, 188, III).

3. QUINAM SIT SUPERIOR COMPETENS, ET DE DIVERSIS MODIS MANIFESTANDI CONSENSUM. Consensus dari potest imprimis a R. Pontifice pro universa Ecclesia vel aliqua eiusdem parte; et insuper ab inferioribus ecclesiasticis legislatoribus intra proprios limites, et conditionibus a Supremo legislatore positis, servatis. Consensus esse potest tacitus, expressus et legalis seu generalis. Expressus habetur dum legislator cognitam consuetudinem disertis verbis approbat. Tacitus habetur cum Superior competens videt consuetudinem observatam, et non contradicit; nisi tamen sileat ad maiora incommoda vitanda, quo in casu silentium non approbat, sed agitur potius de tolerantia. Consensus dicitur generalis, legalis seu iuridicus, cum legislator in antecessum consuetudines approbat quae certis conditionibus sint instructae, ut fecit ipsemet Codex. Postremus consensus, ex communi doctorum sententia, sufficit.

C A N . 26

1. MATERIA. Agitur de subiecto consuetudinis, seu de illis qui mediantibus actibus consuetudinem materialem quae in formalem transferri valeat inducere possunt; et dicitur esse communitatem capacem saltem recipiendi legem ecclesiasticam.

2. COMMUNITAS CAPAX INDUCENDI CONSUETUDINEM. Consuetudo induci potest ab aliqua communitate, non a privata aut privatis personis. Consuetudo enim habet vim legis, et lex datur ad bonum commune et est de se perpetua; ideoque supponit communem bonum seu finem asse-

quendum, et stabilitatem quamdam. Ex eo quod dicatur de communitate quod sit saltem capax recipiendi legem ecclesiasticam, non sequitur communitates alias esse capaces legis ferendae, quatenus potestas legifera in multitudine resideat, sed quatenus ipsarum capita possint legem condere. Est sententia communis quae tenet sufficere si consuetudo inducatur a maiori parte membrorum eiusdem communitatis. Sed quaeritur: quaenam dicenda est in Ecclesia communitas legem recipiendi capax, ad hoc ut, sciamus pariter quaenam communitas inducere valeat consuetudinem? Ex Codice nullibi constat; ideoque confugiendum est ad argumenta quae ex natura legis et consuetudinis afferri possunt, et ad interpretationes et auctoritatem doctorum. Imprimis requiritur communitas quae ad aliquem finem sub capitis directione tendat, ob rationes antea allatas. Quaenam deinde sit haec communitas, constat in pluribus casibus, disputatur in aliis; certum est hodie auctores tendere ad beneficium huiusmodi extendendum. Ex communi sententia inducere valent consuetudinem: provincia ecclesiastica, dioecesis, ordo religiosus, imo, religio votorum simplicium, et provincia religiosa. Nonnulli - ut Maroto, n. 252 - excludunt capitulum cathedrale, et a fortiori, collegiale; sed communior sententia docet capitulum inducere posse consuetudinem (cfr. Cicognani, p. 161; Vermeersch, p. 99; Oietti, p. 175; Cappello, p. 95); et merito quidem, nam ipsemet Codex consuetudinem supponit in capitulo (cfr. c. 408). Induci potest a collegio clericorum, a parochis alicuius dioecesis, ab aliqua regione aut civitate intra dioecesim. Negari solet communiter de paroecia, quamvis Vermeersch innuat se negandi rationem non attingere. Pariter, negatur de unica domo religiosa, propter debitae stabilitatis propriique finis defectum; nisi tamen agatur de monasterio sui iuris, quia tunc auctores, paucis dissentientibus, docent monasteria sui iuris inducere posse consuetudinem. Circa monasteria monialium (cfr. c. 547 § 1). Ceterae condiciones in consuetudine dicentur infra.

C A N . 27

1. MATERIA. Agitur de consuetudine contra ius seu legem; dari nequit contra ius divinum, et determinatur quandonam et quomodo contra legem ecclesiasticam praevalere possit.

2. CONSUETUDINES ET IUS DIVINUM. Numquam consuetudo praevalere potest contra ius divinum, sive naturale, sive positivum; quia ad hoc requiritur consensus ipsius legislatoris, ut dictum fuit in c. 25, et nullibi constat Deum huiusmodi consensum dedisse, et legislator ecclesiasticus, nec quilibet alius, consensum dare non potest in legibus seu contra leges desuper provenientes. Praeterea, ius naturale, quid immutabile determinat.

3. REQUISITA EX PARTE OBJECTI SEU MATERIAE, ET TEMPORIS, AD INDUCENDAM CONSUETUDINEM CONTRA IUS ECCLESIASTICUM. Codex statuit nullam consuetudinem praeiudicium afferre posse iuri ecclesiastico nisi fuerit rationabilis et per annos quadraginta continuos et completos praescripta. Ideoque ante omnia requiritur ut consuetudo sit rationabilis. Ratio est quia consuetudo vices legis obtinet, lex esse debet rationabilis ideoque etiam consuetudo. Nec dicatur quod si lex sit rationabilis, consuetudinem contrariam rationabilem esse non posse: utique potest, quia ut in aliquem finem perveniatur, multiplex via invenire valet. Consuetudo est irrationabilis, ita ut numquam introduci valeat: a) si aliquo modo sit contra ius divinum ob ea quae dicta sunt n° praec.; b) si disrumpat nervum disciplinae ecclesiasticae; quandonam in concreto dici possit nervum disciplinae ecclesiasticae disrumpere, non semper indubium est: oportet recurrere ad probatos auctores, et praesertim ad praxim S. Sedis, ut ad can. 5, de disciplina chorali dictum est; c) si peccandi licentiam vel saltem occasionem praebeat; d) si bono communi aut principiis fundamentalioribus iuris ecclesiastici adversetur. Ita auctores passim (cfr. Prümmer, q. 18, 3); e) est denique irrationabilis consuetudo quae in iure expresse reprobatur, ut monet paragraphus secunda, li-

est clausula reprobatoria (non confundenda cum clausula prohibitoria) afficiat tantum consuetudines contra legem mere ecclesiasticam; nisi tamen, mutatis circumstantiis, ratio irrationabilitatis disparuerit, ut ad can. 5 cum Wernz monuimus. Cave tamen ne ex hac par. credas irrationabiles esse tantum consuetudines in iure expresse reprobatas.

Quoad tempus necessarium ad praescribendum ex parte consuetudinis contra ius, antiquitus fixa norma non inveniebatur. Romani loquebantur, cum sermo erat de qualibet consuetudine inducenda: de id quod vetustas sine lege comprobavit....per plurimos annos observatum.... Deinde sub medio aevo glossatores conati sunt consuetudini applicare quoad tempus regulas de praescriptione. Ante Codicem disputabant canonistae: plures decem annis erant contenti; alii e contra exigebant quadraginta. Hodie habetur regula generalis certa: requiruntur ad praescribendum contra ius ecclesiasticum quadraginta anni continui et completi. Continui, hoc est, absque ulla interruptione, quae haberi potuit sive quia populus interdum a consuetudine recessit, sive quia legitimus Superior legis exsecutionem urget, praximque contrariam vetat, in iudicium trahit iuris de quo agitur violatores, etc. Completi: hoc est, omnino expleti esse debent anni. Si tamen lex clausulam habeat futuras consuetudines prohibentem, non amittit vim suam per contrariam consuetudinem 40 annorum, sed tantum per contrariam consuetudinem centenariam aut immemorabilem; quia duae postremae sunt privilagiatae, et tantum si irrationabiles fuerint insurgere non possunt. Notari oportet quod in priori parte canonis, ubi de consuetudinibus ordinariis, sermonem fieri de iure ecclesiastico: "neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert"; postea vero de lege ecclesiastica: "contra legem vero ecclesiasticam..."; ideoque, in priori casu consuetudo eodem modo praescribit contra anteriorem consuetudinem ac contra legem; in secundo tantum de lege fit mentio, quia tantum in ipsa inveniri potest clausula futuras consuetudines vetans, non autem in iure consuetudinario, cum sit ius non scriptum. - Denique, nihil dicitur de bona aut mala fide; primam requirabant antiquitus nonnulli ob compa-

rationem cum praescriptione; secundum exigebat Suarez, ideoque ut actiones saltem initio fuerint peccaminosae, quia si aliunde quis a lege excusabatur, propriae voluntatem legi contrariam ostendere non poterat. Postremis temporibus quaelibet fides admittebatur ut sufficiens (cfr. Oietti, p. 182-3). Ideoque, Superior potest tolerare si videat subditos per non observantiam legis consuetudinem inducere; nec subditi necessario peccabunt legem non adimplendo, quia fieri potest, etsi in casu huius consuetudinis non sit necessarium, cum animo inducendi consuetudinem, circa quam sciunt de consensu legali; vel fieri potest bona fide.

Hodierni Codices civiles admittere non solent consuetudines contra legem; non eadem est ratio ad ipsas admittendas ac in Ecclesia; nam iura civilia respiciunt determinatas regiones, et ideo facilius possunt iuxta diversos mores omnia regulare; non autem Ecclesia, quae totum modum respicit: expedit ut aliquando saltem sinat mores particularum regionum contra proprias leges praevalere.

C A N. 28

1. MATERIA. Agitur de modo inducendi consuetudinem praeter legem, circa quod regulae pariter certae traduntur.

2. DE CONDICIONIBUS REQUISITIS AD INDUCENDAM CONSUETUDINEM PRAETER LEGEM. Revera, post hucusque dicta, pauca addenda remanent. Requiritur: a) communitas, ad normam eorum quae ad c. 26 dicta sunt; b) scienter, ideoque excluduntur ignorantia, error, vis; ratio est quia quae fiunt absque debita scientia et libertate ligere quemquam non debent; c) cum animo se obligandi: secus consuetudo quae vim legis habere debet, praescribere nequit contra fidelium libertatem. Et ita, praxis sumendi aquam benedictam in ecclesiae ingressum, semper remansit ut quid facultativum, d) requiritur ut sit rationabilis, quia vices legis gerit, quae est ordinatio rationis, ut iam dictum est ad can. praec.; e) ut fue-

rit praescripta per annos quadraginta continuos et completos, in quo pariter antiqua discussio circa tempus resolvitur, modo simili ac dictum fuit circa haec omnia in comm. can. praec.

C A N . 29

1. MATERIA. Agitur de consuetudine secundum legem, et dicitur illam esse optimam legum interpretem.

2/ NOTANDA DE CONSUETUDINE SECUNDUM LEGEM. Eadem verba adhibita in canone ab antiquo iam proveniunt. Iurisconsultus romanus Paulus scripserat: "Si de interpretatione legis quaeratur, imprimis inspiciendum est quo iure civitas retro in eiusmodi casibus usa fuerit: optima enim est legum interpres consuetudo" (cfr. 37. D. I, 3). Et in Corp. Jur. Can. non semel eadem verba fere ad litteram usurpantur (cfr. C. 8, X, de consuetudine, I, 4). Haec est legis interpretatio usualis, de qua egimus ad can. 17. Ut haec interpretatio vim obligatoriam habeat, requiritur ut iam in consuetudinem formalem transierit. Sed quaestio est an dum dicitur: "consuetudo est optima legum interpres", haec interpretatio praeferenda sit modum interpretationi doctrinali, verum et interpretationi authenticae per modum legis exhibitae? Affirmative ad postremam partem respondit Vermeersch (n. 111). Verum, si stante consuetudine, authentica declaratio veniat, potius applicandus esset can.27; quod nihil obstaret ut adhuc consuetudo praevaleat contra authenticam declarationem per modum legis, modo simili ac contra alias leges. Tamen, si quis velit omnia accurate perpendere, non immerito diceret consuetudinem quae legem extendit aut coarctat, aut vere dubiam explicet, non esse propriis secundum legem, sed praeter legem aut contra legem, quia aut legem antea non obligantem aut saltem casum non comprehensum firmat seu veluti statuit, (in casibus legis dubiae, et extensionis) aut casum sub lege comprehensum excludit (in casu restrictionis); cfr. Cappello, nn. 110, 116. Non est ergo nimis materialiter verbis canonis insistendum, cum legis lator voluerit hunc canonem redigere iisdem verbis prius adhibitis; ideoque hodie componi debent cum ceteris canonibus.

Ceterum, memorare oportet quae in finem comm. ad

can. 5 innuimus de modo loquendi nonnullorum auctorum qui vocant consuetudines quas Codex salvat, et alias quas observare praecipit, consuetudines secundum ius seu legem. Possunt sub aliquo respectu ita vocari, sed in praxi confusiones vitantur si animadvertatur illas non esse consuetudines secundum legem prout tales communiter accipiuntur, quatenus nempe verum sensum legis, saltem relate ad praxim reddunt.

C A N . 30

1. MATERIA. Agitur de cessatione consuetudinis ab extrinseco. Consuetudo enim, ut lex, cessare potest ab intrinseco, modo de lege ad can. 21 dicto; sed in hoc canone tantum agitur de cessatione ab extrinseco, per legem contrariam aut contrariam consuetudinem vel etiam per desuetudinem.

2. REGULA GENERALIS CIRCA REVOCATIONEM CONSUETUDINIS ORDINARIAE. Ita statuitur: consuetudo contra legem vel praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur. Si consuetudo fuerit contra legem, non propterea ex eo ipso iterum reviviscit lex prius per consuetudinem abrogata. In consuetudine potest accidere ut aliquid noviter introducatur, aut tantum vetus in desuetudinem abierit. Quoad legem relate ad consuetudines contrarias revocandas, notori debet quod oportet ut sit eiusdem extensionis: et sic lex generalis revocat generatim consuetudines generales, licet nihil de ipsis dicat; lex particularis, consuetudine particulares, cum limitationibus tamen infra apponendis.

3. DE CONSUETUDINIBUS CENTENARIIS ET IMMEMORABILIBUS RELATE AD REVOCATIONEM. Consuetudines huiusmodi sunt privilegiatae, ideoque a lege contraria non tanguntur, nisi expresse nominentur, his vel similibus verbis; non obstante qualibet contraria consuetudine, etiam centenaria aut immemorabili (si tantum priora verba adhibentur, intelligenda sunt de consuetudinibus ordinariis). Communiter distinctio non fit relate ad revocationem inter centenarias et immemorabiles; sed si aliquando fiat, verbis stare oportet.

4. DE LEGE GENERALI RELATE AD CONSUETUDINES PARTICULARES. = Pariter per legem generalem non revocantur consuetudines particulares, nisi expresse dicatur, ut ad c. 22 de legibus dictum est. Verba Bonif. VIII quae ad rem faciunt conferri possunt ad can. 6, n. 3.

5. PRIMO PRAESCRIPTO CAN. 5. = Regulae quae in hoc can. 30 statuuntur, et quae iam antea in usu erant, inserviunt ad futurum tempus; relatio Codicis ad ius consuetudinarium antea vigens statuta fuit in can. 5 quem fusius commentavimus, et qui nullatenus per hunc can. 30 derogatur.

6. DE POTESTATE EPISCOPI RELATE AD CONSUETUDINES PARTICULARES. = Claritatis gratia agimus de hac quaestione separatim, quia valde momentosa in praxi, ut iam munuimus ad can. 5, de consuetudinibus quas Codex salvat loquentes. Si agatur de consuetudine generali in tota ecclesia vigente supprimi nequit ab Episcopo intra proprium territorium, ut planum est, sicut nec leges generales potest idem episcopus in proprio territorio evertere. Aliud dicendum videtur de consuetudine particulari, quamvis consuetudo vigeat ex lege generali, seu quia legalem consensum a R. Pontifice pro se habeat (cfr. Vermeersch, n. 112). Si enim agitur de materia episcopi potestati subducta, nihil in ea potest; sed si agatur de materia ordinaria, utique potest eam supprimere, quia ipse est iudex immediatus consuetudinis. Aliud est dicendum si ius quaesitum cum consuetudine introducatur, ut ecce si consuetudo habeatur in aliqua dioecesi ne ecclesiae non paroeciales missas ad venticias canant: ius quaesitum ex praescriptione obtinuerunt ecclesiae paroeciales. Cfr. ad rem celeberrimam causam apud S.R. Rotam: Segusina (iuris canendi missas adventicias), A.A.S. 1913, p. 523.

Dispensa 11. P. E. Suarez

TITULUS III

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

1. DE IPSO TITULO. In Decretalibus titulus specialis de temporis supputatione non inveniebatur; nunc primum a Codice instituitur. Non tamen apparet cur in hoc loco titulus oppositus fuerit; forsitan - ut innuit Pietti, p. 191-2 quia tempus consideretur tam relate ad ius obiectivum, de quo actum fuit/ Prius, quam relate ad subiectivum, de quo in titulis sequentibus. Quidquid sit de loco, certe quidem utilitas haud spernenda est nam saepe temporis consideratio in iure maxime interest. Quae sub hoc titulo traduntur attente perpendi debent, secus confusio in reliquis Codicis partibus suboritur, ut apparet ex commentatoribus qui saepe alii ab aliis diversa sentiunt in practicis normarum quoad tempus applicationibus.

2. ORDO CANONUM. Imprimis regula statuitur generalis circa temporis supputationem (c. 31); deinde definitur spatium quod venit sub nomine diei, hebdomadae, mensis et anni (c. 32); regulae traduntur ad supputandas horas diei (c. 33); ad computandos dies, hebdomadas, menses et annos (c. 34); et denique de tempore utili et continuo fit sermo (c. 35).

CAN. 31

REGULA GENERALIS HUIUS CANONIS. Est canon velut introductorius quatenus dicitur tempus generatim supputandum esse ad normam canonum qui sequuntur. Duae exceptiones apponuntur: a) salvantur leges liturgicae; iam in can. 2 de ipsis cautum erat, sed ne confusio oriretur, cum in legibus liturgicis tempus saepe aliunde debeat, iterum memorantur. Ideoque tempus in iure liturgico computatur sicut ante Codicem, ex.gr. quoad primam dominicam mensis, et alia huiusmodi; b) pariter excipitur casus quo aliud caveatur ac disponitur in canonibus sequentibus huius tituli. Caveri potest ab ipsomet Supremo legislatore, vel ab inferioribus quibuslibet, dummodo tamen non agatur de legibus seu rebus in

quibus Supremus legislator expresse normam sequendam statuit. Sic religio aliqua determinare nequit ut annus novitiatus expletus dicatur eodem recurrente die quo incepit, utique tamen ut anni ex. gr. sufficiant inceptiubi agitur de propriis dispositionibus, ut in Ord.Praed. generatim alumni mulierum confessiones audire nequeunt ante 30 aetatis annum, et determinatum est ut annus intelligatur inceptus. (Cfr. Maroto, n. 255). De tempore in contractibus, infra.

CAN. 32

1. MATERIA. Determinatur quid veniat in iure sub nomine diei, hebdomadae, mensis et anni. Non dicitur quid veniat nomine horae, quamvis indirecte manifestetur: dum enim dicitur quod dies constat 24 horis, scimus horam esse vigesimam quartam partem diei. Ideoque hora ex communi usu constat 60 momentibus seu minutis.

2. DE DIEBUS, HEBDOMADIS, MENSIBUS et ANNIS. Omissis quamplurimis disquisitionibus astronomicis de quibus fusius agitur in tractatibus specialibus, et late ab aliquibus canonistis (cfr. ex. gr. Cicognani, p. 177 sqts), et prae oculis habitis infra, ad can. sequentem de diversis temporibus dicendis, hic breviter quae ad rem faciunt expenduntur. Dies constat 24 horis continuis supputandis a media nocte. Ideoque non venit sub nomine diei tempus quo sol locum aliquem illuminat, et tenebrae absunt. Media nox aestimanda est ad normam can. 33 § 1, nempe iuxta communem loci usum, cum exceptionibus ibidem designatis. Cum horologium primam pulsationem dederit, hora transiit, et sequens incipit. Cum ad diem perficiendum dicatur quod horae sint continuo supputandae, si tempus computandum sit per dies, partes dierum non sunt coniungendae ad novum diem effermandum, sed tot dies sunt computandi quot spatia a media nocte ad mediam noctem continua transacta fuerint. Et ita, si novicius saepe maneat extra novitiatum per plures horas singulis diebus, novitius numquam dicitur per diem a novitiatus domo abfuisse. Si agatur de sumendis diversis temporibus ad normam can. sequentis, et modo unum, modo alium eligere velis, cavendum semper est ut dies 24 horis co[illegible]s et.

Hebdomada constat 7 diebus. Ideoque dies constare debet 24 horis continuo a media nocte, supputandis, modo iam dicto; sed non requiritur ut dies sint continui ad hebdomadam constituendam, nisi dicatur quod hebdomada sumi debeat prout est in calendario, nec interest an hebdomada dies dominica incipiat vel non: semper ac septem dies habentur modo dicto, hebdomada habetur.

Mensis nomine venit spatium 30 dierum; annus est spatium 365 dierum: dies computandi sunt etiam in his casibus modo prius dicto. Excipiuntur casus in quibus mensis et annus sumendi dicantur prout sunt in calendario, nam tunc mensis poterit constare diebus infra aut ultra 30, et annus si bissextilis, 366 diebus constat.

CAN. 33

1. MATERIA. Agitur de modo supputandi horas diei, et standum esse dicitur communi loci usui; datur tamen libertas intra certos limites quoad nonnullos casus. Denique, regula statuitur in contractibus servanda.

2. DE DIVERSIS TEMPORIBUS SEU MODIS SUPPUTANDI TEMPUS. Dies constare debet 24 horis continuo a media nocte supputandis; sed diversimode computari potest, et hinc diversa nomina oriuntur: tempus usuale, locale verum aut locale medium, legale, regionale, zonarium, extraordinarium. Tempus dicitur usuale ex usu seu modo dies supputandi in aliquo loco, undecumque usus proveniat. Terra girans super seipsam continuo diversa superficiei puncta soli illuminanti exhibet; quod obtinet spatio 24 horarum circiter. Ideoque, quando idem meridianus alicuius loci iterum ante solem transiit habetur dies verus vel solaris; et tempus huiusmodi dicitur tempus locale verum. Terra tamen non uniformiter currit per totum annum, cum aliquando propinquior soli inveniatur; hinc est quod dies veri non sint eiusdem durationis per totum annum; ad hoc ut inconvenientia inde promanantia, ex inaequalitate scilicet dierum, vitarentur statutum est ut omnes dies modo aequali dividirentur, ita ut quilibet 24 horis constaret per totum annum; dies huius modi vocantur solares medii, et tempus dicitur tempus locale medium. Tempus legale in genere dicitur quod statutum est a lege. Praecipuum hodie statutum a lege et

quod comprehenditur a Codice sub nomine regionale, quod etiam audit zonarium seu fusum horarium, est sequens: Ad hoc ut uniformitas temporis in iisdem regionibus haberetur, praesertim ad curras ferreos apte stabiliendos terrae circumferentia quae 360 gradibus complectitur, divisa fuit in 24 partes, seu fusa; unaquaeque constat 15 gradibus, ita ut cum terra ante solem rotet, singulis horis transeunt ante ipsum 15 gradus, et 24 horis, omnes gradus, seu 360. Statutum fuit, ut regiones quae inveniantur intra singulos 15 gradus, seu intra singulos circulos meridianos qui separantur 15 longitudinis gradibus, eandem horam haberent. Sic Europa divisa fuit in tria fusa seu zonas: Europa occidentalis, tempus supputatur iuxta meridianum Greenwich, prope Londinum. Europa centralis, una hora differens ab anteriori et Europa orientalis (Russia et Status Balcanici), pariter una hora differens a centrali. Nunc autem haec conventio subscripta fuit a pluribus nationibus, ita ut tempus huiusmodi zonarium seu fusi horarii in legis in quibus a lege admissum fuit dicitur etiam legale, et regionale. Hinc est quod Com. Pont. interrogata "an ubique terrarum in casibus canone 33 § 1 contentis tempus vulgo zonarium sequi quis possit", respondit: "affirmative, dummodo hoc tempus sit legale" (A.A.S., 1925, p. 583). Cum enim in can. praedicto statutum fuerit ut sequi possit tempus legale, sive regionale (ubi comprehenditur tempus zonarium, ut dictum fuit) planum est quod si legale non sit, sequi non valeat, ut accidit in nationibus quae praedictae conventioni non adhaeserunt. Denique tempus legale esse potest extraordinarium, ut accidit tempore belli quod tempus diversimode a lege determinatur, et tempus aestivo in nonnullis nationibus ubi per horam anticipatur ad parcendum lumini, etc. (Cfr. "Il Monitore", 1926, p. 13; Ciceognani, p. 178 sqts). Nunc demum iam intelligi potest canon.

3. TEMPUS SEQUENDUM. Numeri praecedentis notionibus prae oculis habitis, iam iam dicendis applicentur. Regula generalis haec est: in supputandis horis dici standum est communi loci usui; sunt tamen casus in quibus datur libertas ad sequendum vel tempus usuale, vel si non coincidat cum sequentibus, quodlibet ex iis: locale, sive sit locale verum, sive locale medium; aut lo

gale, sive agatur de legale regionale, sive de legale extraordinario. Casus in quibus haec libertas habetur sunt sequentes: a) in privata Missae celebratione. Quae sit haec Missa privata, auctores non conveniunt. Quidam dicunt missam privatam quamlibet non sollemnem, seu non cantatam cum diacono et subdiacono (Oietti, p. 199); alii vocant privatam quae non imponitur ex lege Ecclesia, ideoque illa esset, licet sollemniter cantata, quae nec conventualis nec capitularis sit (Vermeersch, p. 104; Cappello, p. 159). Alii dicunt privatam significare non sollemnem, nec conventualem aut capitularem (Cicognani, p. 188; Blat, p. 120.)qui tamen loquitur de qualibet cantata,quae sententia nobis placet, attento verbo privata. De tempore celebrationis missae, in can. 821; b) in privata horarum canonicarum recitatione, seu cum non recitantur in communi ex praescripto Ecclesiae; c) in sacra communione recipienda, ad quod ieiunium naturale a media nocte servari debet; d) in lege ieiunii et abstinentiae. Potest ergo sequi quodlibet tempus ex praedictis, aut unum ad unam obligationem implendam, aliud ad aliam, ut verum ad recitandum breviarium, extraordinarium ad missam celebrandam; et ipsum variare ad libitum, ut hodie recitare secundum determinatum tempus, eras, secundum aliud. Exoritur tamen quaestio an idem tempus putari valeat transactum ad unam obligationem, non autem ad aliam, si huiusmodi obligationes quid determinent, ita ut unum aliud excludere videatur; cr.gr., an quis feria VI possit secundum unum tempus post horam noctis duodecimam manducare, quia dies ieiunii transiit, et deinde aliud tempud adoptare ad sacram communionem recipiendam, ita ut secundum hoc tempus dici possit ieiunus a media nocte. Plures auctores hoc negant (cfr. Maroto, Cicognani, Oietti), ex eo quod non liceat duplici sententia probabili uti quando praeceptum est certum; et ita, si quis dubitat an sit hodie ieiunandum vel eras, non potest dicere: hodie utor sententia probabili, et non ieiuno; eras etiam utor eadem sententia, et nec quidem ieiuno.Fateor, non video paritatem. In hoc casu nullo modo adimpletur; in primo allato exemplo, utique praeceptum adimpletur. Ideoque non clare apparet cur libertate a canone concessa non sit utendum (cfr. Vermeersch, p. 105), dummodo tamen quis revera per integrum diem 24 horarum ieiunaverit. E contra, non appa-

ret cur concessio canonis extendi debeat aut possit ultra terminos ab eodem assignatos, ut faciunt nonnulli relate ad indulgentias et dies festos, ex.gr. Vermeersch et Cappello.

4. DE TEMPORE IN CONTRACTIBUS. Quoad tempus urgendi contractus imprimis servari debent pacta inita circa rem a contrahentibus, nam voluntas ipsorum efficit veluti legem seu regulam in casu. Et deficiente expressa pactione, attendi debet ius civile cuiusque regionis; contractus enim saepe a iuris civilis praescriptis praescindere non possunt. Cfr. quoque c. 1529.

CAN. 34

1. MATERIA. Postquam statutum est de modis supputandi diem, seu horas diei, nunc regulae traduntur ad supputandos annos, menses et dies, cauto ipsum quod dies constare debeat 24 horis. Haec est summa: a) mensis et annus designatur (§. 1); b) non designatur terminus a quo annus, mensis, hebdomadae, series dierum currere incipiunt (§ 2); c) terminus a quo designatur (§ 3); quomodo sumendi sint menses et anni (1°); quid si terminus a quo coincidat cum initio diei (2°); quid si non coincidat cum initio diei (3°); quid si assignato die a quo, mensis careat dies eiusdem numeri (4°); quid denique de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis (5°). Notari debet quod hodie, secus ac antea in nonnullis casibus, tempus physice computari debet, non moraliter, ideoque regula "parum pro nihilo reputatur" locum non habet. Insuper, antea, praesertim in favorabilibus, tempus sufficiebat incaeptum, hodie e contra, regula generalis, ut videbimus, est quod tempus requiritur expletum. Videamus singillatim de tribus paragraphis.

2. MENSES ET ANNI DESIGNATI (§ 1). Si proprio nomine designentur, vel aequivalenter, sumi debent prout sunt in calendario. Determinatur expresse, v.gr. mense februario, anno 1928; vel aequivalenter, v.gr. anno proxime venturo. Si dies et hebdomada expresse determinantur, semper sumuntur prout sunt in calendario, ideoque non fuit necessarium ut a legislatore determinaretur (Cfr. Maroto, nn. 257, 7a, et 259, 1°).

3. NON DESIGNATUR TERMINUS A QUO. (§ 2). Potest accidere quod terminus a quo annus, mensis, hebdomada, dies, incipiunt, nullo modo assignetur: ex.gr., suspensio per mensem, per tres dies, etc., et possunt quilibet die incipere. Regula generalis haec est: tempus supputatur de momento ad momentum, non de die ad diem; hoc est, postquam tempus non designatum incoepit, et determinatum fuit ex alia causa initium, ex.gr. voluntate particulari illius qui tres menses vacationum sumere potest, tempus finitur eodem recurrente momento quo incipit, post tres menses. At in hoc casu adhuc distinguere possumus: vel tempus est continuum, vel intermissum; si tempus sit continuum, ita nempe, quod nullam patiatur interruptionem, ut accideret in casu suspensionis per mensem, quia semel ac incoepit interrumpi non potest arbitrio suspendi, tunc menses et anni sumuntur prout sunt in calendario: eodem momento quo incoepit in hoc mense finitur adveniente eodem momento mensis sequentis. Si tempus sit intermissum ita ut non sit necessarium ut dies succedantur, sed possint distinctis temporibus sumi (ex.gr., qui habet tres vacationem menses potest hodie sumere decem dies, mense proximo, quinque, et ita porro), tunc hebdomada constat 7 diebus, mensis, 30, annus 365. Semper ac tot dies, licet separati habeantur, ut numeri praedicti impleantur, iam habetur hebdomada, mensis, annus. Sed non parva confusio eritur inter auctores dum hanc paragraphum interpretantur, et adhuc maior in eiusdem praecticis applicationibus; et inde originem sumere praesertim videtur quia in prima parag.parte tempus semper dicitur sumendum de momento ad momentum, et postea, quando sermo fit de tempore intermisso, dicitur hebdomadam constare 7 diebus, etc., et diversimode explicetur modus computandi de momento ad momentum in postremo casu, an nempe si actio inciperet hora decima feria 2, et intermittatur hora 10 feria IV, et iterum assumatur feria VI, et ita porro, ad dies supputandas sumi debeant horae diversorum dierum, vel e contra, dies semper constare debeat 24 horis continuo supputandis a media nocte, ut dicitur in can. 32, et sub eodem expositum fuit. Ni fallimur, in hoc postremo casu, seu quando agitur de tempore intermisso, diversas horae quae aliquibus

diebus supersunt vel deficiunt, computandae non sunt cum aliis aliorum dierum, ut plures dies, hebdomada, annus obtineatur; legislator enim iam dixit quid iuxta ipsum veniat nomine diei: spatium nempe 24 horarum continuo supputandarum a media nocte; et hebdomada constare debet 7 ex talibus diebus; et pariter intelliguntur dies in mense et anno, nisi ii sumi dicantur prout sunt in calendario. Nunc autem, quomodo in hoc casu adhuc salvatur quod tempus supputetur de momento ad momentum? Hoc modo, ut videtur: dies non dividitur; si agatur de actione quae semel posita totum diem afficiat, licet sero ponatur, idem est ac si posita fuerit initio diei; ex.gr. si canonicus choro intersit horis matutinis, et ante vesperas vacationes sumat, putatur ab initio diei vacationes sumpsisse, quia idem est residere ac choro interesse, et officitur licet una hora non intersit (cfr. S.C.C. Toletana et aliarum, A.A.S.1920, p. 357).Si agatur de actione quae semel posita totum diem non afficiat, tunc dies computatur, non ex sola illa actione, sed ex eo quod transactae fuerunt 24 horae a media nocte continuo supputandae.Sit exemplum: novitiatus interrumpitur si qualibet de causa novitius permanserit extra domum ultra 30 dies,sive continuos, sive intermissos (c. 556). Omnes conveniunt in hoc quod si novitius aliqua die egrediatur per aliquas horas ad deambulandum, ex.gr., integra dies non computatur contra novitiatum. Quid nunc si deberemus sumere diversas horas diversorum dierum ad novos dies computandos? Sequeretur quod novitius non posset exire ad deambulandum extra domum recreationis causa singulis diebus per duas horas, quia in fine anni iam simul ageretur de gravissima absentia, nempe ultra 30 dies; quod est contra quotidianam praxim, hoc est, nullibi de his deambulationibus timetur quod officere valeant probationis tempus; ideoque tantum supputari debent spatia transacta a media nocte ad mediam noctem. (Cfr. Vermeersch, n. 116; Oietti, p. 202).

4. DESIGNATUR TERMINUS A QUO (§ 3). Si tempus constet pluribus diebus, una aut pluribus hebdomadis, mensibus et annis, potest initium seu terminus a quo deter

minari explicite, ex.gr. a die 5 ianuarii, vel implicite, ex.gr. decendium ad appellandum, quod incipere intelligitur a notificatione sententiae. In his casibus tempus sumi debet prout est in calendario; non dicitur de diebus et hebdomadis, quia ut antea dictum fuit, semper sumuntur prout sunt in calendario; ideoque tantum necesse fuit ut diceretur de mensibus et annis, et hoc fecit legislator sub n. 1°. Sed adhuc duplex casus evenire potest si terminus a quo edicatur: nempe, aut praedictus terminus coincidit cum initio diei, aut non. Si coincidat cum initio diei, ex.gr.duo menses vacationum a die 15 augusti, tunc primus dies computatur ad obtinendum numerum de quo agitur, et tempus finitur cum dies eiusdem numeri incipiat. Sic, in allato exemplo; ex eo quod initium indicatur, menses non sumuntur 30 dierum, sed prout sunt in calendario, et ex eo quod tempus quod determinatur coincidit cum initio diei, licet actio ponatur intra diem, primus dies computatur, et tempus vocationum finitur cum incipiat dies 15 octobris, seu quod est idem, cum finitur dies 14. Et hoc est quod determinatur sub n. 2°. Si terminus a quo non coincidat cum initio diei, quia pendet a facto quod semper intra diem accidit, ex.gr. aetas, novitiatus, vacatio sedis episcopalis, etc., tunc prima dies intra quem factum accidit non computatur ad implendam numerationem, et quia haec dies deficit, secus ac in casu praecedente, ultima dies computari debet, quod pariter non accidebat in casu praecedente. Et ita, qui natus est die 1° ianuarii, ad novitiatum recipi nequit ante diem 2am.ianuarii post 15 annos. De his in n.3°. Caute procedendum est quando agitur de termino a quo qui coincidit vel non cum initio diei. Sumi non debet haec regula subiective, seu in linea exsecutiones, sed obiective, seu in linea ipsius legis; quia si sumatur in linea exsecutionis nunquam terminus a quo coincidit cum initio diei, quia actiones semper intra tempus, seu intra diem ponuntur. Ergo videndum est an obiective tempore sumpto necessarium sit ut incipiat intra diem, vel incipere possit cum ipso die. Denique, ex eo quod prima dies non computatur, non sequitur quod in illa die quis ius suum prosequi non valeat; et ita, prima illa die quis iam potest appellationem interponere,

et novitius prima illa die quo novitiatum incoepit est verus novitius, cum novitiorum iuribus et obligationibus, et ita porro.

Alicui possibili difficultati occurrit n. 4. Accidere potest ut tempus assignetur in mense qui numerum habeat quem non habet mensis in quo tempus finiri deberet; haec difficultas non occurrit, uti patet, ubi agitur de diebus aut hebdomadis, utique vero de mensibus. Statuitur mensis a die 30 ianuarii, februarius caret die 30; quid tunc? Si dies 30 ianuarii coincidebat cum initio eiusdem diei, tempus finitur incipiante ultima dies februarii (28 aut 29 iuxta diversos annos); si e contra, tempus non coincidebat cum initio diei 30 ianuarii, supputatio finitur expleta ultima die mensis februarii. Dies eiusdem numeri aliter intelligitur quando sermo est de diebus, ex.gr. decendium; tunc intelligitur dies quo iteratur numerus ipso spatio indicatus (cfr. Vermeersch, p. 106). Denique, si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ut triennium ad professionem perpetuam post temporariam, ex regula supra statuta prima dies non computatur et tempus finiret expleta ultima die eiusdem numeri; tamen hic sub n. 5 dicitur quod tempus expletur recurrente eadem ultima die, et novus actus per totam ipsam ultimam diem poni potest. Ideoque sensus videtur hic, si actus non ponitur recurrente ultima die, actus prior, ex.gr. prima professio, tenet per totam ipsam diem, et vota non finiuntur nisi expleta eodem ultima die (cfr. Maroto, p. 284). Datur ex hoc mera facultas ut actus ponatur recurrente ultima die, sed non imponitur obligatio, nisi haec aliunde exurgat, ut accidit quando sermo est de renovanda professione (cfr. c. 577), quia tunc si ad diem sequentem renovatio differatur, alumnus saltem per horas absque votis permaneret, quod non expedit.

CAN. 35

1. MATERIA - Agitur de vi determinanda quorumdam verborum relate ad tempus, quando nempe tempus dicatur utile, quando continuum:

2. - TEMPUS UTILE, ET TEMPUS CONTINUUM. - Tempus utile claris verbis dicitur a canone illud quod pro exercitio aut prosecutione iuris alicui ita datur ut si hic ignoret aut agere non valeat minime currat. Continuum e contra illud dicitur quod nullam potitur interruptionem, ita ut currat licet quis ignoret aut agere non valeat. Cum tempus ex se sit continuum, si aliunde utile intelligi debeat, necesse est ut exprimatur a lege, licet non semper agatur de concessione mere positiva, cum non semel ius naturae innuat ut ius suum quis prosequi valeat postquam impedimentum quod detinebatur cessavit, aut semel ac de iure violato primum scivit. Plures sunt canones in quibus tempus utile conceditur, ex. gr. 161, 432 etc. Cum tempus utile incipiat a momento notitiae vel cessationis impedimenti, et haec semper determinato tempore fiant, prima dies nunquam computatur, quia coincidere nequit cum initio diei. Sic, ad appellandum decem dies utiles habentur a notitia publicationis sententiae computandi (c. 1881); usque notitia habeatur, licet sententia a pluribus diebus lata fuerit, tempus decem dierum currere non incipit; notitia habetur intra diem, terminus a quo designatur, ideoque tempus currere incipit a die sequente. Insuper, si postea impediatur, iterum tempus currere sinit, usque dum impedimentum cesset, et tunc dies priores coniungendi sunt cum posterioribus ad summam decem dierum stabiliendam. Ex eo quod agatur de favore, et pariter prima dies non computetur, sed requirantur dies completi, non immerito aliqui censent si impedimentum superveniens duraverit per notabilem diei partem, illam diem computandam non esse (cfr. Maroto, p. 285; Vermeersch, p. 106).

TITULUS IV

D E R E S C R I P T I S

1. DE IPSO TITULO. - Postquam Codex agit de iure obiectivo et de tempore accedit ad pertractandum de illis quae ius subiectivum producere valent, incipiens a rescriptis. Titulus de rescriptis iam sub veteri iure in Decretalibus adhibebatur; prima vice adhibitum fuit in collectione Bernardi Papiensis (1189-1191). Codex titulum retinet, licet circa rescripta aliquas mutationes afferat, ut passim videbitur.

2. RESCRIPTI NOTIO, DIVISIO ET HISTORIA. Rescriptum in genere idem est ac responsum scripto datum. Rescripti institutum a romano iure procedit. Imperatores romani cum a particularibus petitiones recipiebant in ipso supplici libello adnotationem apponebant, aut simpliciter subscriptionem. Quando vero agebatur de magistratibus communiter responsum dabatur per epistolam. Hinc rescriptum vocatum fuit "responsum Principis scripto datum". Etiam fideles et ipsi Episcopi ad Supremum Ecclesiae Principem accedebant ut ab ipso gratias, responsa alicuius generis obtinerent. Inde etiam Romanus Pontifex saepe scripto his precibus respondebat. Huiusmodi praxis iam saeculo IV in usu erat, sed praesertim invaluit post institutum de beneficiis, et a saeculo XII. Ideoque ante Codicem rescriptum proprie erat responsum R. Pontificis scripto datum ad alicuius instantiam. Responsa Ordinariorum inferiorum non dicebantur rescripta, secus ac hodie, nam Codex etiam admittit rescripta aliorum Ordinariorum (c. 36).

Potest ergo hodie definiri rescriptum: "responsum S. Sedis vel Ordinarii scripto datum ad alicuius instantiam". Dicitur ad alicuius instantiam, quia licet non semel rescripta clausulam motu proprio habeant, hoc non significat ut non fuerit ad instantiam, et tantum benevolentia innuitur; repugnat enim ut aliquis respondeat non interrogatus. Distinguitur ergo rescriptum ab oraculo, quod viva voce datur; a Decreto, quod datur motu proprio; a lege seu Constitutione, quae pro omnibus aut pluribus datur etc.

DIVIDITUR rescriptum multipliciter: a) ratione objecti seu materiae: in rescriptum iustitiae, gratiae et mixtum. Primum refertur ad controversias iudiciales (licet gratiam aliquam concedat), ut designatio iudicis delegati, restitutio in integrum, et alia huiusmodi; secundum, simplicem favorem concedit, ut privilegium aut dispensationem; tertium, utroque participat; b) ratione formae: vel dantur in forma gratiosa, vel in forma commissoria, et haec postrema esse potest necessaria, aut libera. In primo casu rescribens directe concedit gratiam absque ullo intermediario executore; in secundo casu tribuitur alicui facultas concedendi memoratam gratiam; si sit in forma commissoria necessaria, executor habet nudum ministerium, et tenetur gratiam concedere, supposita precum veritate; si e contra agatur de libera, potest gratiam concedere vel non iuxta proprium prudentem arbitrium; c) relate ad legem, rescriptum dividitur in secundum, praeter, et contra ius seu legem. In primo casu ius urgetur seu applicatur; in secundo aliquid conceditur speciale quod a iure non prohibetur; ut indulgentiae; in tertio aliquid conceditur contra ius commune; d) ratione extensionis: in generale et speciale seu peculiare, prout respicit omnes determinati generis causas, aut personas, vel tantum unam aut aliquas. Non habent hae voces strictam significationem, et ita idem rescriptum esse potest generale respectu alterius inferioris extensionis, et speciale, respectu illius quod ampliorum extensionem habet.

3. ORDO CANONUM. Agitur imprimis de auctore et subiecto rescriptorum (cc. 36-37); de ipsorum valore (38-41); an et quibusnam vitiis inficiantur (42-48); de ipsorum interpretatione (49-50); de praesentatione et exsecutione (51-59); de cessatione (60-61); de rescripto quod contineat privilegium vel dispensationem (60).

CAN. 36

1. MATERIA. Agitur de illis qui impetrare possunt seu obtinere rescripta, et indirecte dicitur quinam rescribendi facultate polleant.

2. DE AUCTORE RESCRIPTORUM. Jam diximus antea tantum R. Pontificem, per se aut per Romanae Curiae Dicasteria, rescripta vera dare potuisse. Hodie, praeter S. Sedem (ad normam can. 7 intellectam), rescribendi habent facultatem omnes Ordinarii (cfr. can.198). Et quae dicuntur sub hoc titulo de rescriptis, applicari debent quibuslibet, nisi sermo sit in concreto de rescriptis S. Sedis, ut generatim accidit.

3. DE ILLIS QUI IMPETRARE SEU OBTINERE VALENT RESCRIPTA. - Sub paragr.prima regula generalis statuitur, vi cuius libere rescripta impetrari possunt ab omnibus qui iure non prohibentur, et obtineri valent a quibuslibet rescribentibus. Quinam vero a iure prohibeantur, sub hac paragr. non dicitur. Deinde, sub paragr.secunda dicitur: "gratiae et dispensationes omne genus a Sede Ap. concessae etiam censura irretitis valida sunt, salvo praescripto can. 2265 § 2, 2275 n. 3, 2283". In praefatis canonibus statuitur quod excommunicati, personaliter interdicti et suspensi, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, nequeunt gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de praedictis poenis fiat. Antea apponi solebat in concessione gratiarum absolutio a censuris ad cautelam, et tantum ad effectum recipiendi valide gratiam. Pius X (Ordo servandus) 1908 statuit: "gratiae et dispensationes omne genus a S. Sede concessae etiam censuris irretitis, ratae sint ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati". Quae quidem aliquantulum mutata recepta fuerunt in hoc canone. Excommunicatus vitandus potest valide consequi gratias pontificias, ante sententiam declaratoriam, absque speciali mentione, vel regitur normis exceptis in secunda paragr.? Nonnulli, ut Vermeersch, n. 125, excipiunt quemlibet vitandum a consecutione gratiarum, et tamen videtur quod non sit certum. Ex notione quidem excommunicati vitandi (c. 2258), semper requiritur sententia vel decreto; at excipitur qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit (c. 2343): talis est

ipso facto vitandus. Potest hic ante sententiam declaratoriam et absque speciali mentione valide gratias pontificias consequi? Affirmative respondendum esse videtur, cum nullibi prohibeatur. Quid de haereticis et schismaticis? Si inveniantur in condicionibus requisitis a c. 2314 § 1, n. 3, seu si sectae achatolicae nomen dederint vel publice adhaeserint, cum sint ipso facto infames, inhabiles sunt ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici (c. 2294 § 1). Quid vero de aliis gratiis? Eadem conclusio, negativa nempe, ferenda est, arguendo ex c. 87; et ita fert praxis Curiae Romanae (cfr. Ojetti, p. 210; Vermeersch, p. 108).

Denique notandum est quod quando agitur de gratia aliqua a S. Sede concedenda, haec exquirere solet antea votum Ordinarii, ideoque res celerius procedunt si iam simul cum precibus, ipsius Ordinarii commendatio mittatur, nisi agatur de foro interno, quia tunc absque ipsius voto procedere S. Sedes solet.

CAN. 37

1. MATERIA. Sicut in iure antiquo, statuitur rescriptum impetrari posse pro alio, etiam praeter eius assensum; et normae determinantur in his casibus sequendae.

2. DE NATURA RESCRIPTI IMPETRATI PRO ALIO. Circa hoc notandum est: a) qui pro alio impetrat debet ipse esse habilis ad normam can. praecedentis? Ex una parte videretur quod non sit necessarium, cum gratia ab alio fruatur; tamen, non immerito quis exigeret etiam habilitatem in impetrante; nam revera impetrare non est tantum petere, sed petere cum effectu, hoc est, obtinere; et aliquantulum dedecet ut quis indignus obtineat etiam pro alio, b) potest rescriptum impetrari pro alio etiam praeter eius assensum, imo non tantum inscio, verum et contradicente, nam aliud est concessio Principis, et aliud ut postea gratia fruatur; c) secus ac in iure Decretalium sub quo rescripta iustitiae pro alio impetrari nequibant sine speciali mandato, nisi ageretur de

illis qui non indigent speciali mandato ut pro nobis in iudicio agant, ex iure Codicis impetrari possunt sive rescripta gratiae, sive rescripta iustitiae (un de immerito Tosc, ad can. 37; adhuc hodie hoc limitat ad rescripta gratiae); canon enim non distinguit; d)ut planum est, quis potest gratia sibi concessa non uti, quia nemo tenetur favore in sui uso concesso uti, nisi obligatio aliunde exurgat (cfr. c. 62); at nisi ex appositis clausulis aliud appareat, rescriptum valet ante acceptationem; quia favor pendet a voluntate concedentis; non est idem ac ubi agitur de donatione, quae acceptationem requirit; agitur enim in hoc casu de contractu. Ceterum, licet quis gratia uti non velit, lex pro ipso non urget; sic, qui hoc modo obtinuit dispensationem ab impedimento matrimoniali, licet matrimonium de facto non contrahat, impedimentum eum amplius non tenet (cfr. Cicognani, p. 212).

Circa non acceptationem gratiae etiam ab ipso petitae, religiosi qui vult liberari a votis, etiam post exsecutionem rescripti, cfr. S.C.de Religiosis, 1 aug. 1922 (A.A.S. p. 501).

CAN. 38

1. MATERIA = Agitur de momento a quo rescriptum vim habet, prout concedatur in forma gratiosa seu absque interiecto exsecutore, vel in forma commissoria, seu mediante exsecutore. Modo simili, in iure veteri.

2. DE MOMENTO EFFECTUS. = Rescripta quae non indigent exsecutore, ex se vim habent a momento quo data apposita fuit, nam gratiae ex se pendent a concedente; tamen, illis uti nequit qui ea obtinuit antequam de ipsis sciat. Et ita, si datur ad quinquennium, vim amittit expleta die eiusdem numeri. Quae dantur in forma commissoria, tantum vim habent a momento exsecutionis; si fuerit in forma commissoria libera, patet, quia tunc tantum revera gratia conceditur; si agatur de forma commissoria necessaria, etiam si dicatur gratia iam facta, tamen accidere potest ut exsecutio adhuc non subsequatur, et ideo expediens iudicavit legislator ne rescriptum vim habeat ante exsecutionem.

Dispensa 13 P. F. Suarez.

CAN. 39

1. MATERIA. Agitur de conditionibus essentialibus pro validitate in rescriptis appositis.

2. QUAENAM CONDITIONES AD VALIDITATEM. In canone dicitur quod sunt essentiales ad validitatem conditiones quae exprimuntur per particulam si, dummodo, vel aliam eiusdem significationis; ceterae sunt accidentales, ideoque, si non adimpleantur, res erit forsitan illicita, numquam tamen invalida. Sed difficultas habetur quando determinari debent aliae particulae eiusdem significationis a canone memoratae. Notari debet quod de particula agatur; consequenter, non nimis extendi debent conditiones ad validitatem. Dubium praecipue movetur de ablativo absoluto; saepe enim adhibetur in rescriptis, et quaeritur an valorem afficiat ex se. Ante Codicem communiter docebant auctores ablativum huiusmodi respicere validitatem. Idem docet post Codicem Maroto, n. 284; at fere omnes alii auctores qui post Codicem scripserunt, et quaestionem hanc proponunt, docent iure Codicis ablativum absolutum ex se non esse quid essentiale, validitatem afficientem (Cfr. Blat, p. 132; Cicognani, p. 215; Vermeersch, p. 111; Oietti, p. 216; Cappello, p. 130; Cocchi, p. 161). Nullibi enim in Codice, neque in hoc canone neque in alio, statuitur ut sit ad validitatem. Diximus ex se, seu semper quatenus ablativus, quia aliquando ipse ablitivus absolutus non innuit nisi rem aliunde omnino ad valorem. Placet aliqua verba ex Oietti, loc. cit. ad rem transcribere: "Codex nihil dicit expresse et distinguendum est. Scilicet, vel id quod clausula exprimitur, iam est ex natura rei aut iure communi praeceptum (v.gr. sublata occasione proxima, remoto scandalo, peractis publicationibus); vel de novo imponitur aut praecipitur. In primo casu conditio ex clausula habet eundem valorem quem habet ex natura rei vel ex iure communi: in altero non habet vim irritandi actum, si eius executio omissa fuerit, quia non exprimitur per particulam aliquam, prout legislator praescribit. Sic in exemplis allatis de remotione scandali, de publicationibus faciendis, etc.; legislator censetur dare monitionem de servanda obligatione aliunde proveniente, ita ut, si eae clausulae non observentur, dispensatio, ex.gr. futura sit vel tantum illi

cita vel etiam nulla, prout ex natura rei vel ex iure communi secumfert vel non invaliditatem. Quare si in rescripto, quo conceditur dispensatio super impedimento matrimoniali, apposita fuerit clausula "peractis publicationibus", dispensatio erit valida, etsi matrimonium contrahatur omissis publicationibus (hae enim praecipiuntur ad liceitatem, non ad valorem); si vero apposita fuerit alia clausula "servata forma canonica in contrahendo" et haec servata non fuerit, dispensatio erit nulla, quia forma canonica requiritur non ad liceitatem tantum, sed ad validitatem".

De diversis clausulis quae adhiberi solent, licet plures iam sint obsoletae, cfr. Ferraris, "Prompta Bibliotheca", v. Clausulae. Quae hodie magis in usu sunt in rescriptis apud Oietti, p. 216 et sqts.

CAN. 40

MATERIA. In rescriptis communiter apponitur clausula: "si vera sint exposita", "si preces veritate nitantur", vel alia huiusmodi; sed licet non apponatur, semper subintelligenda est = statuit canon iuri veteri conformiter, = adeo ut generatim veritas precum sit conditio ad valorem. Ratio est quia veritas precum est factum, et facta praesumuntur ignota Principi, qui non censetur petitioni annuere si falsa exponantur. Excipiuntur tamen duo casus: primus qui memoratur in can. 45 circa rescripta cum clausula motu proprio, ibidem explicandus; et alius in can. 1054, ubi statuitur: "dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita fuerit falsa".

CAN. 41

MATERIA. = Ex can. praecedente scimus quod rescripta, si non exprimant, subaudiant clausulam "si preces veritate nitantur", et determinari debuit momentum quo preces veritate niti debeant. In rescriptis quae dantur in forma gratiosa, seu absque ullo executore, preces veritate nitantur necesse est, et quidem ad valorem, tempore quo rescriptum datum est, seu tempore datae rescripti, quia revera tunc conceditur quod per rescriptum obtinere quis cupiebat. In rescriptis e contra, quae conceduntur in forma commissoria, seu mediante executore, preces

veritate niti debent tempore exsecutionis; tunc enim revera rescriptum confert quidquid conferre debuit. Ideoque, licet tempore quo datum fuit rescriptum preces veritate non nitantur, dummodo tempore exsecutionis vera sint exposita, valet rescriptum. E contra, si tempore concessionis vera sunt exposita, non tamen sunt vera iam tempore exsecutionis, rescriptum non valet. Si ex.gr. canonicus petat dispensationem a choro propter infirmam valetudinem, et verum non sit dum conceditur a S. Sede, sed utique postea, quando Episcopus debeat rescriptum exsecutioni mandare, rescriptum valet: si e contra infirmitas adest cum a S. Sede conceditur, sed iam disparuit omnino tempore exsecutionis, rescriptum nihil valet. Ante Codicem disputabatur an rescriptum concessum in forma commissoria necessaria deberet vera supponere tempore datae, eo quod exsecutor sit praecise necessarius ideoque gratia iam videretur concessa. Codex tamen non distinguit, et merito sane, nam in rerum veritate, etiam in exsecutione necessaria, ab ipsa incipit rescriptum vim habere.

CAN. 42

1. MATERIA. - In prioribus canonibus dictum fuit de veritate in precibus; nunc magis in concreto de eodem fit sermo, et determinatur vis subreptionis aut obreptionis in rescriptis, et quid si tantum unam rescripti partem afficiant.

2. DE SUBREPTIONE IN RESCRIPTIS. Subreptio est reticentia veri, hoc est silentium circa ea quae in precibus deberent exprimi ad consequendum quod petitur. Quamvis non dicantur omnia illa quae dici deberent, et apposite aliqua taceantur, adhuc optentum rescriptum valet, dummodo tamen in precibus expressa fuerit quae ex stylo Curiae ad validitatem exprimi debent. Ideoque, admititur subreptio veluti accidentalis, non autem substantialis, quia stylus Curiae substantialia exigi solet. Ratio est quia Curia eodem modo vel simili, moveretur ad rescribendum, licet illa accidentalia fuerint expressa; minime tamen, si circa ea quae vult omnino ut exprimantur reticen

tia habita fuerit. De qua Curia fit sermo in casu? Auctores non conveniunt: Nonnulli dicunt quod agatur de stylo Curiae a qua rescriptum impetratur (cfr. Maroto, p. 217); maior tamen pars dicunt quod agatur in casu de stylo Curiae Romanae (Cicognani, Vermeersch, Ciletti, Cappello); non immerito sententia postrema sustineretur, quia, ut ait D'Annibale (I, n. 237, nota 3), huius Curiae stylus dumtaxat facit ius....et solum in Curia Romana, nisi forte a Romano Pontifice confirmatus fuisset". At si agatur de rescripto impetrato ob alia Curia in materia circa quam Curia Romana stylum non habeat, quia semper conceditur ab inferioribus, hinc attendendus esset stylus respectivae Curiae. Ceterum, non est quaestio facilis regulam generalem determinare circa stylum in diversis Dicasteriis Curiae Romanae: quaenam nempe exprimenda sint ad validitatem; pendet a diversis materiis, et videndae sunt singulis casibus.

3. DE OBREPTIONE IN RESCRIPTIS - Obreptio est expositio falsi in precibus quibus rescriptum petitur. Causae quae adducuntur ab illo qui rescriptum obtinere cupit aliae dicuntur motivae, aliae impulsivae. Causae motivae illae sunt quae revera movent rescribentem ad rescriptum concedendum; causae autem impulsivae illae sunt quae animum ipsius rescribentis inclinant ad petita concedenda, sed licet adiuvent ad concedendum, revera non movent sicut ceterae quae ideo motivae audiunt. Ad hoc ut appareat quaenam causae sint motivae seu moveant revera ad concedendum quaenam impulsivae, seu concessionem faciliorem reddant, stylus Curiae attendi debet, et natura rei: certe quidem in nonnullis saltem negotiis statim causae principaliores apparent. Nunc autem, in paragr. secunda determinatur quando obreptio seu expositio falsi rescriptum obtentum nullitatis vitio afficiat, valet rescriptum dummodo: a) si unica causa proponatur ad ipsum impetrandum, sit vera; b) si plures causae exponantur ad rescriptum obtinendum, necesse est ut saltem una causa motiva, vera sit. Ratio post dicta statim apparet: licet enim falsum exponatur, simul cum aliquo vero, si rescribens etiam moveretur ad concedendum quod petitur, si tantum quod veri in precibus est agnosceret, optime dicendum est ipsum motum fuisse expositione veri, non expositione falsi. Nunc autem, si in precibus unica cau-

R. Pontificis? Plures auctores non distinguunt inter gratiam denegatam scripto et vivae vocis oraculo, et docent quod nihil potest inferior in casu (cfr. Marato, p. 322, nota 1; De Meester: Juris...compendium, I, n. 291, nota 4; Cocchi, p. 164; Cicognani, p.226). Alii e contra putant valide concedere posse R. Curiam (cfr. Vermeersch, n. 127, qui ait: "Tunc ex D'Annibale I, 226 valet istud: unius repulsa alteri iurisdictionem non adimit"; et Cappello, p. 127). Revera sumus in odiosis et stricte procedendum est ne ad invaliditatem faciliter recurramus. Tamen, putarem quod etiam in casu repulsae vivae vocis ex parte S. Pontificis, invalide gratia a Dicasteriis ipsius Curiae concederetur, ne absona in iure admittere cogamur, nam: 1° sicut nullibi dicitur gratiam denegatam a Congregatione vel Officio, non facta mentione, valide concedi a S. Pontifice, et tamen hoc asserunt omnes, ex natura potestatis ipsius S. Pontificis, a pari primum ex ipsius potestatis natura argumentare possumus; et si ipse denegavit gratiam, signum est quod non vult ut orator gratia fruatur, et ideo inferiores oratorem inhabilem invenirent cui conferre non possent eandem gratiam, non ob defectum potestatis, sed ob inhabilitatem petentis; 2°si ratio asserentium teneret, urgenda esset, non tantum ubi agitur de R. Curia, verum etiam de quolibet Ordinario potestatem habente:omnes gratiam concedere possent, quod esset dedecus pro Supremo Capite: 3° nihil ad rem facit Can. 204: "quod si quis Superiorem adit, inferiore praetermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive haec ordinaria fuerit, sive delegata"; in hoc casu agitur de petitione missa; in alio, de petitione denegata; e) denique, si gratia denegata fuerit a Curia Romana, concedi valide nequit ab Ordinario loci, absque assensu illius a quo preces reiectae fuerant. In hoc casu sermo fit tantum de Ordinario loci, quid de Ordinario religioso? Si aliquod Dicasterium Curiae Romanae denegaverit gratiam, concedi potest absque eius assensu ab Ordinario religioso, debita facultate praedito? Pariter nihil dicitur in canone; ideoque, absolute loquendo affirmative responderi posset, ut fecit Chelodi, n. 78; at rectius alii

sa exponitur, rescribens ab ipsa tantum movetur, et necessario esse debet vera; secus non salvatur conditio essentialis can. 40 "si preces veritate nitantur". Sed si plures adducantur causae, requiritur ut saltem una ex illis a quibus rescribens movetur, seu una saltem motiva, sit vera, licet omnes aliae sint falsae: ex.illa vera a qua moveretur, si unica adducta fuerit, iam legislator censet quod preces veritate nituntur. Si mulier ex.gr. dispensationem ab impedimento matrimoniali petat, et dicat se esse aetate provectam, pauperem, orphanam, etc, et tantum primum sit verum, cum ex stylo Curiae sit causa motiva, sufficit ad validitatem dispensationis.

4. QUID SI VITIUM OBREPTIONIS AUT SUBREPTIONIS UNAM TANTUM RESCRIPTI PARTEM AFFICIAT. - Denique in tertia paragr. aliquid statuitur, ut in duobus praecedentibus, clariori modo quam sub iure veteri in quo canonis materia ignota haud fuit. Potest accidere quod rescriptum pluribus partibus constet, et tunc obreptio vel subreptio, seu expositio falsi aut omissio veri dicendi afficiat et invalidet unam rescripti partem ad normam paragr. praecedentium; tunc alia vel aliae partes eiusdem rescripti, praedictis vitiis non affectae, validae sunt. - Etiam hic canon salvos sinit cc. 45 et 1054.

CAN. 43

MATERIA. - Agitur de vi gratiae denegatae ab una Congregatione aut officio Curiae Romanae, si ab alia Congregatione aut officio, vel a loci Ordinario petatur. Circa quod notari debet: a) ab antiquo regula habetur, ad calcem huius canonis citata, iuxta quam: "Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti" (Reg. 84, R.P. in VI°). Juxta haec, Inn. XII in Const. "Ut occurratur", 4 iunii 1692 prohibuit sub poena nullitatis ne quod denegatum fuerat a una Congregatione, sive in materia gratiae, sive in materia iustitiae, ab alia impetraretur. Hoc confirmavit Pius X in Const. "Sapienti Consilio", anno 1908, licet iam casus de facili non daretur, statuta competentia ipsarum Congregationum. Codex denique idem statuit, addens quod in

fine canonis legitur de Ordinariis. Pariter, hodie inter Congregationes non erit hoc facile, quia quaelibet propriam habet materiam assignatam, licet non sit impossibile: aliquando enim dubium habetur de ipsa competentia. Itaque: b) si aliqua Congregatio vel Officium Curiae Romanae aliquam gratiam denegaverit, invalide ab alio Dicasterio R. Curiae conceditur, vel etiam a loci Ordinario, licet habeat potestatem, sine assensu illius Congregationis vel Officii quod gratiam denegavit. Non sufficit ergo ad invaliditatem si gratia petita fuerit et adhuc concessio veluti pendeat, vel responsum fuerit dilata, vel preces reiectae fuerint ob defectum competentiae in Dicasterio: omnino requiritur ut gratia denegata fuerit; c) salvatur ius S. Poenitentiariae pro foro interno. Ideoque, si gratia ab alio Dicasterio R. Curiae denegata fuerit, absque illius assensu potest concedi pro foro interno a S. Poenitentieria; sed non e contra, si denegata fuerit a S. Poenitentieria pro foro interno, ab alio concedi potest pro foro externo. Et ratio est duplex: prima, quia S. Poenitentieriá gratiam denegare potuit ob rationes non allegabiles in foro externo, ideoque, ipsa putatur recte egisse, consequenter alii qui rationes cognoscere non possunt, stare debent eius rectitudini; secunda est quia ipsa elargitur generatim gratias quae influxum directum non habent in foro externo; ideoque nullum inconveniens si concedat pro interno quod alius pro externo denegavit; e contra, quae conceduntur pro foro externo, valent etiam pro interno; d) si post denegatam gratiam a Romana Curia, recurratur ad S. Pontificem, ab eo valide obtineri potest, etiam non facta mentione prioris denegationis, quia R. Pontifex tali prohibitione non ligatur. Sed quaeritur an si R. Pontifex gratiam denegaverit, adhuc a Romana Curia valide concedi posset. Si Pontifex scripto gratiam denegaverit, omnes conveniunt ab inferioribus concedi valide non posse sive mentione facta sive omissa; agitur enim de rescripto denegato a Superiore, et vim saltem aequale habere debet eius repulsa ac si ageretur de denegatione facta ab aequali. At ulterius quaeritur casu quo R. Pontifex gratiam denegaverit vivae vocis oraculo; posset tane ob aliquo Dicasterio R. Curiae valide adhuc concedi sine assensu

negant (cfr. Ojetti, p. 229; Cappello, p. 127); eadem enim est ratio pro utroque Ordinario; loci, et religioso. Esset insuper absonum si permitteretur Ordinario religioso quod non conceditur ipsis Congregationibus. Idcoque aut verbum loci positum fuit in canone per materialem errorem, aut per inadvertentiam, ex eo quod casus frequentior esse posset ubi de Ordinario loci. Idcoque, si gratia denegata fuit ab alio dicasterio, aut ab eodem datur assensus ut ab alio concedatur, si habeat potestatem, aut recursus fit apud S. Pontificem, aut iterum ab eodem dicasterio peti potest, etiam mentione non facta denegationis. Non semel conceditur si preces clarius exponantur, si de ipsarum causarum gravitate iterum sermo fiat, etc. Ceterum, quando id quod petitur est in potestate Ordinarii, responderi solet: "orator recurrat ad Ordinarium qui utatur iure suo".

CAN. 44.

1. MATERIA. Agitur de modo procedendi si gratia denegata fuerit a proprio Ordinario, et deinde ad alium Ordinarium recurratur; et quid iuris si denegata fuerit ab Episcopo vel eius Vicario, et postea ex uno in alterum recurratur. Jus vetus quid simile statuebat, innixum Reg. 84, ad canonem praecedentem exscripta.

2. DE GRATIA PETITA A PROPRIO ORDINARIO. In prima paragr. vetatur ne quis absque mentione ab alio Ordinario petat gratiam denegatam a proprio, et ne insuper concedatur facta mentione, nisi habitis rationibus denegationis. Circa quae, haec notanda sunt: a) dispositiones huius primae paragr. non afficiunt validitatem, sed tantum liceitatem; idcoque omnibus omissis, valide gratia impetratur; b) ut planum est, agitur etiam de Ordinariis religiosorum propriis, quia non distinguitur, c) agitur de proprio Ordinario, non autem de alienis (cfr. can. 94); si enim aliquis ab alieno Ordinario, ex.gr. peregrinus, gratiam petierit, et ipsi denegata fuerit, licite peti potest a proprio vel ab alio Ordinario, non facta mentione; d) si quis plures Ordinarios proprios habuerit, post denegationem unius, non debet

ad alium pariter proprium recurrere, nisi servata paragrapho; e) ratio praescripti est duplex: ut quis proprio Ordinario honorem debitum deferre non omittat, et praeterea quia Ordinarius proprius melius censetur subditum dignoscere, et speciales causas habere potest ad petitionem denegandam: propterea in postrema paragr. parte dicitur quod adhuc facta mentione denegationis, gratia non concedatur, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. Nihil statuitur hic casu quo non ad alium Ordinarium, sed ad S. Sedem recurratur, nec opus erat, nam imprimis honor S. Sedis hoc vetat, et practice ipsa S. Sedes ante concessionem gratiae audire solet Ordinarium, et si agatur de gratia quam conferre potest ipse Ordinarius, ad ipsum assuevit oratorem remittere, ut ad can. praecedentem diximus.

3. - DE GRATIA PETITA A VICARIO GEN. VEL AB EPISCOPO. - In secunda paragr. statuitur quod si gratia denegata fuerit a Vic. Gen., nequit valide ab Episcopo conferri, non facta mentione denegationis; si e contra, gratia denegata fuerit ab Episcopo, absque eius assensu valide conferri non potest, licet mentio denegationis facta fuerit. Circa hoc notetur: a) agitur de Vic. Gen. Episcopi eiusdem dioecesis, non de Vic. Gen. diversi Episcopi; hoc eruitur ex tenore praescripti; et insuper, quando agitur de Vic. Gen. diversae dioecesis, gratia conceditur vel denegatur in genere ab Ordinario, quin opus sit quaerere an sit Episcopus vel Vic. Gen.; b) ratio ob quam gratia invalide confertur ab ipsomet Episcopo, non facta mentione denegationis Vic. Gen. (facta enim mentione, valide conceditur), est unio quae intercedit inter Episcopum eiusque Vic. relate ad regimen dioeceseos, et quod a Vic. fit, putatur ab eodem Episcopo factum: si enim Vic. aliquid denegavit, non expedit ut concedatur ob Episcopo generatim, quia Vicarii auctoritas parvipenderetur, et frequenter Vic. Gen. melius dioecesim cognoscit, et forsitan speciales habet rationes ad gratias denegationem; quapropter, si mentio fiat denegationis, Episcopus iam potest diiudicare de gravitate causarum ad denegandam gratiam, et ipsam concedere vel minus iuxta propriam conscientiam; c) e contra, si gratia iam fuerit ab Episcopo denegata, non expedit ut ab eius Vicario, Episcopo non consentiente,

concedatur, ideoque sub nullitatis sanctione vetatur. Episcopus enim est qui plenioris dioecesim regit, ipsique vere praeficitur; Vic. Gen. e contra est Episcopi adiutor (c. 366); et licet potestatem ordinariam habeat, non est nisi vicaria; nec potest sese intromittere in iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae requirunt speciale mandatum (c. 368): si enim Vic. Gen. nihil ageret in iis quae Episcopus sibi reservaverit, a fortiori statuendum erat circa illa quae ipsemet Episcopus iam denegaverit.

CAN. 45

MATERIA. - Agitur de vi clausulae Motu proprio nonnullis rescriptis appositae, relate ad subreptionem vel ad obreptionem. Idem cavebatur antiquitus relate ad subreptionem, ut apparet ex duobus fontibus qui huic can. apponuntur. Circa hunc canonem notare expedit: a) in can. 42 § 1 dictum fuit vitium subreptionis seu reticentiam veri dicendi rescriptum non invalidare, dummodo exprimantur quae ex Curiae stylo sunt exprimenda. Sed aliquando petitur rescriptum, et rescribens clausulam adhibet in concessione: motu proprio; tunc enim rescriptum valet licet in precibus reticita fuerit veritas necessario exprimenda ex eodem Curiae stylo: nam rescribens per talem clausulam indicat se rescriptum concedere, non ob rationes allatas, sed ex propria benignitate; b) pariter sub eodem can. 42 § 2 dictum fuit obreptionem seu expositionem falsi rescriptum non vitiare, dummodo sit vera causa proposita si haec sit unica, vel si propositae fuerint plures, saltem una causa motiva seu finalis sit vera. Nunc autem, licet rescriptum habeat clausulam mutu proprio, vitium obreptionis, seu expositio falsi non sanatur, sed de eodem iudicandum ad normam praedicti can. 42 §. 2. Differentia inter obreptionem et subreptionem in casu est quia si orator verum taceat, cum concedens dederit veluti ex se, ex propria benignitate, non censetur deceptus ex reticentia veri. E contra, si falsum exponatur, ita ut etiam unica causa finalis seu motiva adducta, vera non sit, potest dici concedentem in benignitatem motum fuisse ex errore; ideoque nulliter

rescriptum obtinetur. Salvatur tamen can. 1054, qui statuit circa quaedam impedimenta matrimonialia: "Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit". Agitur enim de materia speciali, et specialibus etiam motivis motus fuit legislator ad hoc statuendum.

CAN. 46

1. MATERIA. - Postquam legislator in can. praecedente egit de vi clausulae motu proprio relate ad subreptionem et ad obreptionem, nunc eiusdem clausulae vim examinat in nonnullis rescriptis in concreto. Legislator hic determinat quod iam iure ante Codicem vigebat: etiam interveniente praedicta clausula, quae quidem animum specialem ostendere in rescribentem non est dubium, rescriptum non sustinetur in casibus de quibus infra.

2. QUANDONAM IN CONCRETO RESCRIPTA NON SUSTINEANTUR. - Nisi expressa derogatoria clausula rescripto apposita fuerit in qua mentio fiat et derogatio de infra dicendis, rescriptum non sustinetur: a) si concessum fuerit personae de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur; rescribens enim gratiam concedere intendit, non autem personam habilem reddere, nisi expresse id etiam dixerit; b) si concedatur contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, sive sit statutum a S. Sede provenians, sive ab inferioribus, puta, a Episcopo qui aliquam legem aut decretum condiderit; c) si datur contra ius alteri iam quaesitum, quomodocumque legitime quaesitum fuerit. Ratio praedictorum est quia agitur de rebus quas concedens censetur ignorare, et non putatur ipsum concedere velle quod ignorat, et aliis auferre quod legitime acquisierint, nisi nominatim dicat. Ideo pariter ad can. 4 salvatur ius quaesitum, et canones 22 et 30 generatim salvant statuta et consuetudines particulares ante contrarias leges generales. Si tamen derogatoria clausula apposita fuerit, tunc rescribens iam non ignorat, et voluntatem manifestat rescribendi cum illis

plenariis effectibus.

At quaeritur de vi verbi adhibiti circa rescripta: non sustinentur; est idem ac dicere invalida sunt? Negative respondent nonnulli (cfr. Cappello, p. 134, qui tamen ulterius progredere videtur quam aliqui ex auctoribus quos citat in nota); iuxta hanc sententiam rescriptum esset validum, licet exceptio opponi posset ab illo qui iure quaesito fruitur. Tamen, potius dicendum videtur rescriptum in se esse nullum; verba diversa adhibentur, ne eadem saepe repetantur. Dicitur enim quod rescriptum non sustinetur, ideoque, si ipsum per se, seu ex seipso non sustineatur, quatenus rescriptum nihil valet. Si postea ille cui interest, seu quod ius quaesitum habet, scienter et libere consentiat in hoc quod rescripti impetrator illo uti valeat, non propterea rescriptum firmatur nullibi enim hoc statuitur; potius agitur in casu de renuntiatione iuris quaesiti ex parte illud possidentis.

CAN. 47

MATERIA. - Determinatur quando error in nomine personae cui vel a qua conceditur rescriptum, loci aut materiae rescripta non vitiant: si nempe iudicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio. Circa haec notari possunt: a) non semel antiquitus praesertim, rescripta falsa conficiebantur, quibus postea gratias, pensiones, et alia huiusmodi consequi fictus impetrator exoptabat; hinc, normae traditae sunt ad apochrypha rescripta detegenda. Sed aliquando pariter accidit ut ab ipsis qui rescriptum conficere debent error ponatur, licet qui petierit, omnia accurate posuerit: saepe enim ab officialibus preces per summariam rediguntur, at generatim formulis impressis nomina, etc. adiunguntur. Error ergo huiusmodi, aut cadit in causam motivam et tunc nullibi sanatur (cfr. Vermeersch, p. 113), aut agitur de notabili errore grammaticali, et aliis vitiis quae antea dicebantur extrinseca, ut rasura in loco substantiali et quae rescriptum vitiabant (cfr. Worna, I, 153): hodie haec rescripto non officiunt, sed ipsum reddunt suspectum, et praesumptio iuris contra ipsum stat merito potest (cfr. Maroto, p. 320). Aut denique erro-

est in nominibus, loco vel re: iure antiquo primum non vitiabat si respiciebat personae qualitatem; utique si ipsam personam; quoad locum diversa disposita erant, quoad rem, si una gratia pro alia concedebatur, generatim nullum erat rescriptum (cfr. Oietti, p. 236 sqts.); b) hodie in tribus his casibus rescriptum non vitiatur, ut antea dictum est, cum conditione tamen apposita; ratio autem est quia in rescriptis inspici debet rei veritas, et quod error irrepat in illius nomine qui concedit, etc., est quid accidentale: fundamentale est ut concedatur ab habente potestate, habili subiecto, res de qua concedens disponere valet. Si de tribus praedictis constiterit, sufficit. Error in nomine concedentis aut illius cui conceditur, non omnino materialiter sumatur, idem est ac si agatur etiam de cognomine, etc. Locus in quo moratur, pariter concedens aut obtinens, quilibet esse potest, nam licet quis alibi domicilium vel quasi-domicilium habeat, actu commorari potest in loco determinato, et ex eodem rescriptum impetrare. Non enim restringi debet ad locum domicilii aut quasi-domicilii, ut innuit Oietti (p. 238). Denique, nec obstat error in nomine rei de qua agitur, seu in obiecto rescripti: ut si petitum fuerit indultum asservandi SS. Eucharistiam in oratorio novitiorum, et concedatur pro oratorio conversorum: valet pro primo.

Tamen in fine canonis additur: dummodo, iudicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio. Ordinarius intelligitur non tantum loci, verum et religiosorum, quoad proprios subditos. Sed quaeritur, haec particula dummodo, validitatem afficit? Affirmative respondendum esse videtur, ex ipsius canonis tenore, et ex modo adhibendi hanc particulam diversis in locis. Ex hoc tamen non sequitur quod impetrator teneatur Ordinario rescriptum ostendere nisi ad normam can. 51. Si agatur de rescripto pro foro interno, ostendi Ordinario non debet, ideoque vel exsecutor, communiter confessarius, vel ipse impetrator dubium de praedictis removere debet. Si de rescripto pro foro externo, quae a S. Sede conceduntur fieri solent in forma commissoria, ideoque Ordinarius exsecutor videbit; si dentur in forma gratiosa, aut ab aliis Ordinariis, postquam ostensa fuerint si dubium non deponatur, amplius pro validitate impetrator stare non potest. Nihil dicitur de depositione dubii circa locum, quia parum interest locus, dummodo personae cer

tae sint.

CAN. 48

1. MATERIA. Accidere potest ut circa unam eandemque rem duo rescripta inter se contraria habeantur; tres casus occurrere possunt: unum rescriptum est generale, aliud vero peculiare; aut sunt aequalia; aut concessa fuerunt eodem die, nec liquet quodnam prius. Generatim prout sub veteri iure, haec disponuntur:

2. DE RESCRIPTO PECULIARI CONTRARIO RESCRIPTO GENERALI. Si circa eandem rem duo ostendantur rescripta inter se contraria quorum unum sit generale, alterum vero peculiare seu particulare, hoc postremum praevalere debet in iis quae peculiariter exprimuntur. In hoc enim casu regula 34 in VI^a^ applicatur: "generi per speciem derogatur"; rescribens censetur exceptionem apposuisse generaliori rescripto. Si Titio committatur ut videat de causis matrimonialibus alicuius dioecesis, Caio vero ut videat de aliquam determinatam causam illius dioecesis, hoc est veluti exceptio, vi cuius Titii potestas limitatur. Tamen, in hac prima paragr. non absolute regula statuitur: praevalet peculiare tantum in iis quae peculiariter exprimuntur; in aliis vero quae peculiariter in rescripto Caii non exprimantur, cum non supponantur contraria rescripto Titii, conciliari debent. Nihil interest quodnam prius datum fuerit.

3. DE RESCRIPTIS AEQUE PECULIARIBUS AUT GENERALIBUS, INTER SE CONTRARIIS. Sed conflictus non iam subo ritur inter rescriptum generale et rescriptum peculiare, ut prius, quo in casu praevalere debet peculiare, sive obtentum ante, sive post generale; conflictus est inter duo rescripta aeque particularia, aut duo pariter rescripta aeque generalia: Titius habet rescriptum vi cuius hoc beneficium vacans, talis dioecesis conferre potest; Caius identicum exhibet rescriptum ut idem beneficium conferre valeat. Titius rescriptum habet ut conferat omnia beneficia; Caius idem obtinet. Quis prevalet, Titius an Caius? Quodnam rescriptum praeferendum? Generatim prius tempore praevalet posteriori, iuxta regulam 54 in VI°: "qui prior est tempore, potior est

iure". Ratio est quia rescribens censetur rescriptum praecedens ignorare, aut de eodem oblitus fuisse, ideoque non habet voluntatem auferendi ab aliis quod ignorat, aut illud de quo iam fuit oblitus. Ad rem Alexander III (c. 12 de off. et pot. iud. del. X, I, 29): "Quoniam si memores fuissemus nos pro praedicto N. litteras direxisse, pro adversario nullatenus scripsissemus". Tempus quod attendi debet est data concessionis rescripti; si momentum sciatur, ipsum momentum, sed cum tantum dies apponi solet, ut in pluribus tantum dies attendi potest. Nulla fit distinctio inter rescripta data in forma gratiosa et in forma commissoria; licet enim rescriptum vim tantum habeat a momento exsecutionis, tamen, verus concessor est rescribens, non exsecutor; ideoque rescribentis data in omnibus attendenda est: talis erat sententia communior ante Codicem et post ipsum (cfr. Cicognani, p. 238; Vermeersch, p. 113; Cappello, p. 136).

Regula diversa statuta fuit circa leges et consuetudines in cc. 22 et 30: si eiusdem extensionis sint praevalet posterior; at non eadem est ratio, nam lex et consuetudo generales sunt quid ex se publicum, nec censentur ignorari; et si sint particulares, et particularia contraria statuantur, censetur legislator quaesiisse de specialibus motivis ad ius illud particulare statuendum.

Normae generali de praevalentia prioris rescripti, tres exceptiones apponuntur: a) si in secundo rescripto mentio expresse fiat de priore. In hoc casu nec ignorantia rescripti concessi a praedecessore, nec oblivio anterioris a seipso concessi, in rescribente admitti potest: sed e contra, admitti debet voluntas aliis concedendi quod prius alteris concessum fuerat; b) si prior impetrator dolo suo rescripto usus non fuerat. Nemo enim ex dolo apposite quaesito beneficium reportare debet; et ne in rescripto prius obtento hoc contingat, ulteriori impetranti favetur. Ut ecce si Titius gratiam aliquam consequutus fuisset, et Caio eandem gratiam quaerenti nihil dixerit, imo, gratia iam obtenta usus non esset praecisse ad hoc ut Caius pecuniam, incommoda subeat, et deinde gratia obtenta frui non valeat, et simul concessor illudatur; merito enim

dispon[illegible]tur ut Caii, non vero Titii rescriptum vim habent; c) denique, si anterior impetrator notabili negligentia eodem rescripto usus non fuerat; unus est enim casibus in quibus regula iuris 25: "mora sua cuilibet est nociva". Sed quomodo dignoscenda et diiudicanda est haec negligentia? In canone enim 52 edicitur: rescripta quorum praesentationi nullum est definitum tempus possunt executori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus". Si quis non teneatur rescriptum executori ostendere, facilius eius negligentia in non usu rescripti admitti posset, sed qui utitur iure suo rescriptum executori per tempus quodlibet differendi, quomodo ex alio capite de negligentia damnari potest? Videndum est singulis casibus; si agitur ex.gr. de beneficio vacante ad quod obtinendum Titius rescriptum in forma commissoriá a S. Sede consequutus est, non statim de negligentia damnari potest si eius presentationem Ordinario per aliquos dies differat; utique autem si per plures menses, ita ut beneficium damnum patiatur.

4. DE RESCRIPTIS EODEM DIE CONCESSIS. - Denique, sub tertia paragr. casus consideratur quo contraria rescripta eadem die data fuerint. Si agatur de contrarietate inter rescriptum generale et particulare, semper postremum praevalet ut dictum fuit sub paragr. prima. Sed difficultas habetur casu quo contraria rescripta circa eandem rem eiusdem sint extensionis, et data fuerint eadem die. Si sciatur quod rescriptum intra eandum diem prius obtentum fuit, regula paragr. secundae, in n° praecedente exposita, applicatur: nempe, prior tempore potius est iure; cum exceptionibus, ibidem appositis, nempe, mentione facta de priori, et non usus prioris rescripti propter dolum aut negligentiam; in duobus postremis casibus vix unquam eodem die apparebit quisnam vere rescripto valide uti possit, cum dolus et negligentia communiter longius tempus requirant; et sic posterior impetrator revera rescripto uti non posset usquedum in alio dolus aut negligentia vere adsit. Si nesciatur quale rescriptum eiusdem extensionis, et eodem die concessum (non agitur de executione, ut antea dictum fuit), et aliud altero con-

trarium, prius datum fuerit, optime legislator determinat ut utrumque irritum sit: nescitur enim quis eorum qui rescriptum impetraverint eo uti possit. Cum enim in casu nulla provisio circa rem habeatur, statuitur ut si casus ferat, iterum ad rescribentem recurratur; tunc enim ipse, omnibus inspectis providebit. Si casus non ferat, ex.gr. quia tempus ad beneficium obtinendum a rescribente transactum iam fuerit, nihil amplius de illa quaestione.

5. DE QUO RESCRIBENTE AGATUR IN HOC CANONE. Regulae quae in hoc canone traditae sunt intelligi debent de contrariis rescriptis ab uno eodemque rescribente impetratis, non quidem adeo materialiter ut sit eadem persona, sed sedes, saltem sedes eiusdem cathegoriae. Si agatur de rescripto obtento ab Episcopo dioecesis N, comparari potest cum contrario rescripto obtento ab eius successore; nisi tamen rescriptum primum ex alio capite cessaverit, utputa, ad normam cc. 61 et 73 (cfr. Cicognani, p. 239; Vermeersch, p. 113). Si enim rescriptum aliquod datum fuerit a Superiore, dato ab inferiori praevalere debet; - tamen, si ex priore rescripto dato ab inferiori ius aliquis legitime quaesierat, nisi mentione facta, ius illud quaesitum per posteriorem non aufertur, ut dictum manet in can. 46.

Prorsus non videntur quae tradit Ojetti, P. 245: "Quod si diversi concedentes sint uterque Romano Pontifici inferiores, rescriptum utrumque nullum est". Imprimis si uterque sit Romano Pontifici inferior, sed unus Superior relate ad alium, nulla solida ratio habetur quare Superior praevalere non debeat, si tamen relate ad materiam habeatur vera subordinatio, quia si agatur ex. gr. de aliqua re quae competat Ordinariis locorum, idem valet rescriptum Metropolitae, et Episcopi suffraganei. Aliud esset ex. gr. inter Supremum Moderatorem in Ordine religioso, et Provincialem eiusdem Ordinis. Si autem uterque concedens sit Romano Pontifici inferior, et insuper sint inter se independentes, nulla pariter habetur ratio ad rescriptorum nullitatem decernendam, si

sciatur de tempore concessionis, et norma desumi debet ex duabus prioribus paragraphie ut appareat quodnam prae valere debeat; sicut pariter ex paragr. tertia concludi oportet pro nullitate, casu quo sint eiusdem diei, et ne sciatur quodnam fuerit intra eundem diem prius obtentum.

CAN. 49

MATERIA. Agitur de modo intelligendi rescriptum quando dubium speciale circa eiusdem sensum non occurrit, si enim specialia dubia oriantur, providet canon sequens. Circa canonem vero quem commentamur, notetur: a) ne aliquis ex rescripto amplius quaerat quod verba innuunt, et verba ipsa in praedictum finem detorqueat, ipsa verba intelligenda dicuntur secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum; haec enim iam exposita manent ad can. 18. Iam enim romani iuristae scripserant: "Cum de verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio" (L. 25 de legatis, III. D (XXXII); - b) rescripta ad alios casus praeter expressos extendi non debent. Minime admittitur interpretatio extensiva; rescribens enim censetur rescriptum dedisse tantum impetranti, non autem aliis, licet forsitan in iisdem aut similibus circumstantiis inveniantur. Ratio enim cur rescriptum datur esse solet bonum privatum; lex e contra datur ob bonum publicum; consequenter, si in bono publico defficiat norma, desumi potest ex aliis datis in similibus, ad normam can. 20; admittitur interpretatio legis extensiva (cfr. dicta ad can. 17); sed quando agitur de bono privato quod obtinetur mediante rescripto, non omnino necessarium est, et quod prius alicui datur, invocari ab alio non debet in sui favorem, sed recurrat necesse est, si velit, ad rescribentem ad similia consequenda.

CAN. 50

1° MATERIA. Accidere potest quod rescripti verba clara non sint, attenta verborum adhibitorum significatione, attentoque communi loquendi usu; dubium enim habetur de vero sensu rescripti. Adhuc in hoc casu interpretatio extensiva adhiberi nequit propter ea quae huca-

nonem praecedentem; sed quo criterio interpretari debet rescriptum, lato vel stricto? Seu qua interpretatione uti debet impetrator, lata, vel stricta? (De his interpretationibus cfr. dicta ad can. 17). Legislator normam dat in hoc canone, iuxta quam in dubio stricte interpretari debent rescripta quae ad lites referuntur, quae iura aliis quaesita laedunt, quae adversantur legi, in commodum privatorum et illa quae impetrata fuerint ad beneficii ecclesiastici assecutionem. Cetera omnia rescripta latam interpretationem in dubio recipiunt.

2. DE SINGULIS RESCRIPTORUM GENERIBUS QUAE STRICTAM INTERPRETATIONEM RECIPIUNT. Rescripta huiusmodi sunt in genere illa quae aliis odiosa esse possunt, et quaedam quae veluti ambitionem sapiunt. In concreto: a) quae ad lites referuntur, seu rescripta iustitiae. Haec rescripta ex duplici capite sunt odiosa, quia saepe inferioris aut iudicis ordinarii iurisdictionem coarctant; et insuper quia parti collitiganti praeiudicium aliquod afferre possunt. In dubio ergo minimum in talibus casibus est tenendum. Ita pariter ante Codicem statutum erat. Gregorius IX declaravit Abbati S. Genovefae iurisdictionem delegatam extendi non posse ad personas in rescripto non expressas, etiam de ipsarum assensu, prout patetur ex c. 40, X de officio et potestate iudicis delegati, I, 29, quod ut fons huius canonis in Codice citatur.

b) quae iura aliis quaesita laedunt. Semper enim ius quaesitum consideratur ut aliquod fere inviolabile, propter rationes ad can. 4, ubi de eodem iure ex professo sermo fuit, allatas. Et etiam si quis rescriptum obtineat quo ius alteri iam quaesitum expresse auferatur aut minuatur a rescribente qui tale ius coarctare valeat, non propterea adhuc rescripti impetrator maximum nec medium sequi potest in dubio, sed minimum quod ex ostento rescripto educi valet; agitur etiam de re odiosa.

c) rescripta quae adversantur legi in commodum privatorum. Aliquando beneficium quodlibet obtinetur contra legem seu ius commune ita ut illud beneficium sit tantum in commodum privatorum; tunc enim, si dubitatur de sensu

rescripti, censendus est rescribens vulnus minimum infli-
gere voluisse ipsi iuri communi, quia bonum commune su-
per bono particulari praevalere debet. At non est eadem
ratio quando rescriptum datum fuit contra communes dis-
positiones, non in bonum alicuius privatae personae, sed in
bonum, uti ita dicam, ipsius communi boni, seu ad hoc ut
ipsum bonum commune melius servetur. Et ita, si rescrip-
tum habeatur vi cuius milites tempore belli exceptiones
a iure communi habeant ut melius patriae defensio spera-
tur, non agitur de bono ipsorum militum, sed de bono ip-
sius pratriae, de bono omnium civium, de bono communi,
quia per exceptionem illam a iure communi milites fer-
tiores reduntur ad patriam tutandam. Similiter, si quae-
dam religiosis concedantur quae ex iure communi omnibus
aliis fidelibus non competant, non in ipsorum religioso-
rum quatenus privatorum hominum datur, sed ut melius re-
ligio excolatur, propagetur, etc. Ideoque in prioribus
casibus nedum stricta interpretatio admitti non debet,
sed e contra, lata adhibenda est, ex ipsius canonis prae-
scripto; in his casibus odia absunt, non tamen in prio-
ribus;

d) denique, rescripta quae impetrata fuerint ad
beneficii ecclesiastici assecutionem. Bonifacius VIII
(c. 4 de praebendis et dignitatibus, III, 4 in VI), scri-
serat: "Quamvis plenissima sit alias in beneficiis in-
terpretatio facienda, litteras tamen super obtinendis be-
neficiis impetratas, debent, cum sint ambitiosae, restri-
gi. Et ideo si alicui usque ad certam summam provideri
mandamus, ei non in pensione sed in beneficiis ecclesia-
sticis tantum volumus provideri, nisi de pensione in no-
stris litteris mentio habeatur expressa". Agitur ergo de
re quae veluti ambitionem sapit, et merito ambitio non
maximum, sed minimum consequi debet.

Si quaeratur an in hoc canone taxative dicantur
rescripta seu rescriptorum genera quae strictam patiun-
tur interpretationem, ita ut ad alia stricta interpre-
tatio extendi nequeat, seu potius sit tantum demonstra-
tive quod in hoc canone statuitur, alia, praeterquam ex-
ta exempla, ad alios casus extendi debeat aut possit re-
sponderem: rescriptorum genera taxative determinantur:
ita eruitur ex materia, et ex canone, siquidem de ceteris
dicitur quod latam interpretationem recipere debent.

CAN. 51

MATERIA. Statuitur quandonam rescripta concessa ab Apostolica Sede in forma gratiosa seu absque interiecto exsecutore, debeant Ordinario impetrantis praesentari nempe: cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet. Casus huiusmodi sunt tantative designati: dicitur enim tunc tantum..... Circa hunc canonem quaedam notanda sunt:

a) Quaedam dispositiones similes sub veteri iure inveniuntur, at canon desumptus fuit praesertim ex Pio X (Ordo secundus, P. II, Normae peculiares, cap. III, n. 4), ubi dicitur: "....Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen sunt Ordinario, qui ea suo recognitionis rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, ss. reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in aedibus privatis, aliaque id genus".

b) Praescriptum litteras ostendendi Ordinario non efficit validitatem; si enim non ostendantur rescriptum validum est; nisi tamen in eodem rescripto ad valorem, seu sub poena nullitatis ostensio exigatur; secus, ad normam can. 11 pro valore stare oportet. Certum est enim, ut non semel diximus, S. Sedem pro foro externo rescripta in forma commissoria ut in pluribus concedere, ideoque casus ab hoc canone contemplatus frequenter non accidit. Occurrit praesertim ubi agitur de oratoriis domesticis; apponi solet clausula ex can. 1195: "postquam Ordinarius oratorium (vel locum) visitaverit et probaverit ad normam can. 1192 § 2". Et fatendum est quidem iuri conformiter haud agere Ordinarii qui ex hac vel simili clausula indultis apostolicis apposita, exigere solent ut ab ipsis singulis annis licentia petatur ut indultorius de facto possit oratorio privato frui, et quidem singulis vicibus tassa soluta.

c) Ordinarius proprius, dicitur in canone; consequenter, si quis plures habuerit proprios Ordinarios, quilibet eligi potest, si ex rescripto aut a lateris non determinatur, utputa, si quis reliquiam publicae venerationi proponere velit in aliquo loco, intelligitur Ordinarius illius loci in concreto, si agatur de

religiosis qui proprium Ordinarium religiosum habeant, ipsi ostendendum est rescriptum, nisi pariter de materiis agatur quae locorum Ordinariis reservantur, ut est materia de reliquiis quoad nonnulla (cfr. cc. 1282,1283)

CAN. 52

MATERIA - Sermo est de tempore quo rescripta in forma commissoria concessa, exsecutori ostendenda sunt. Si tempus praefiniatur, intra tempus praescriptum praesentari debent, et quidem sub poena nullitatis, si sub ipsa praesentatio exigatur; secus, ad liceitatem tantum, nisi ex alio capite rescriptum amplius non valeat; ut ecce si rescriptum obtineatur ad assequendum beneficium quod ultra determinatum tempus vacare non debet; si rescriptum debito tempore praesentatum non fuerit, et beneficium praeiudicatur in alio, rescriptum obtentum nihil amplius valet.

Si tempus praesentationi praefinitum non fuerit, quovis tempore potest praesentari rescriptum, modo absit fraus et dolus. Rescriptum enim ex se est perpetuum, iuxta regulam Juris 16: "Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum": ideoque quovis tempore potest impetrator exsecutionem petere.

Ut fons huius canonis affertur quaedam dispositio Bonifacii VIII (c. 12, de rescriptis, I, 3, in VI°): agebatur de duobus qui rescriptum assecuti fuerant ad obtinendam praebendam: unus prius rescriptum obtinuit, at alius qui posteu simile rescriptum consequutus fuerat, prius exsecutori ostendit, et quaerebatur de valore utriusque rescripti. Pontifex respondit: "Debes tu praebendam vacantem, potius quam impetrator ultimus, obtinere, dum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia, imputari".

Nunc autem in canone hoc, loco negligentiae habetur fraus; e contra, ad can. 48 § 2 sermo etiam est de dolo aut notabili negligentia. Significatur idem? Revera non est idem dicere quod adsit dolus, et dicere quod negligentia notabilis habeatur; sunt res sat diversae, licet non semel quoad effectus iuridicos a legislatore aequiparentur. Dolus autem et fraus idipsum significant? Cene

atim haec verba promiscue usurpantur; stricto tamen e civili dolus (qui dicebatur malus), post iuris= stam romanum Labeonem, intelligitur quaelibet falla= cia, machinatio, calliditas ad decipiendum; fraus ve re, iuxta iurisconsultum Paulum, est actio quae poni tur ad legem eludendam, sed apparenter est secundum legem. Idcoque dolus est potius ad alios decipiendos; fraus, ad legem eludendam. Non enim proprie dolus si= gnificat prout in materia poenali, "deliberata volun tas violandi legem" (c. 2200), ut vult Cicognani, p. 246.

At ex eo quod quis dolo aut fraude rescripti praesentationem executori distulerit, iam sequitur ex secutorem postea executionem peragere non posse, et consequenter, impetratorem rescripto non frui? Genera= tim dicendum est quod non sequatur, nam executor tene tur procedere et normam iuris quidem, sed eius libertas non videtur coarctata ex hoc capite; certe quidem pos= set ad normam can. 54 executionem reiicere, aut reseri bentem monere. Si ex.gr. impetrator rescriptum abtinue= rit tempore quo veritate preces non nituntur, et postea differat executionem petere ut tandem factum perveniat vi cuius preces veritate nitantur tempore executionis. At si hoc ita factum fuerit, executor potest, licet absolute videtur quod non teneatur, saltem sub poena nul litatis actus peracturi, executionem reiicere aut di= fferre.

Si denique ex alio capite de eodem rescripto di= iudicari debeat, nempe in conflictu cum aliis rescrip= tis ad normam can. 48 §. 2, tunc non tantum considere= tur ius impetrantis, sed ius alterius quod subintrat, ideoque probato dolo aut negligentia ad normam eiusdem praescripti, alius praevalere debet. Nec dicatur quod in c. 48 agitur de non usu rescripti, ideoque iam sup= ponat executionem; minime, diximus quod data in compa rationibus desumebatur ex concessione, non ex executio ne. Praeterea, verba Bonifacii VIII sub hoc ipso cano= ne quem commentamur exscripta, manifeste hoc innuunt: agecatur enim de duobus qui rescriptum circa idem obti nuerant, et secundus impetrator prius executori osten derat, et quaeritur de dolo in dilatione prioris impe= trantis.

CAN. 53

1. MATERIA. Agitur de momento a quo rescripti exsecutor, quilibet ille fuerit, et a quocumque rescribente rescriptum proveniat, munere suo fungi potest. Invalide enim procedit antequam litteras receperit, eorumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia notitia earundem litterarum fuerit exsecutori transmissa auctoritate ipsius rescribentis. Ideoque, aut procedditur via ordinaria, aut extraordinaria, prout infra dicemus.

2. DE RECEPTIONE ET RECOGNITIONE LITTERARUM. Exsecutor est veluti mandatarius: nihil potest usquedum mandatum recipiat. Inde enim iam sub iure veteri dispositum erat ne exsecutor procederet absque vera et authentica notitia suae commissionis, licet in nonnullis casibus communis sententia circa rem inter auctores non adesset: D'Annibale ex.gr. tenebat inquietandos non esse illos qui dispensationem impedimenti matrimonialis obtinuerant, et ob periculum in mora Ordinarius rescriptum exsecutioni mandaverat ex sola notitia telegraphica. Necesse est enim ut exsecutor litteras receperit; minime sufficit ut sciat quod sunt ex.gr. penes impetrantem. Requiritur insuper ut ipsarum authenticitatem et integritatem recognoverit. Authenticitas seu quod illius sint qui dicitur in casu rescribens, ex multis dignoscitur: ex sigillo appósito, ex verbis et stylo qui adhiberi solet a rescribente, et aliis huiusmodi. In uno ex fontibus ad cam hujus canonis citatis, quaedam ex Inn. III habentur (c. 6, X, de crimine falsi, V, 20), quae utiliter legi possunt. Agebatur de quodam Episcopo qui litteras falsas admisserat, ad quem postea Pontifex: "Nos vero litteras quae tibi sub nostro nomine praesentatae fuerunt diligentius intuentes, in eis tam in continentia, quam in dictamine, manifeste deprehendimus falsitatem, ac in hoc fuimus non modicum admirati quod tu tales litteras a nobis credideras emanasse: cum praesertim scire debeas Ap.Sedem consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, fratres; coeteros autem, sive Reges sint, sive Principes, vel alios homines cuiuscumque Ordinis, filios in nostris lit

teris appellamus... In falsis autem litteris tibi praesentatis, in salutatione "dilectus filius" vocabaris, cum in omnibus litteris quas aliquando tibi transmisimus, te videre poteris a Nobis Fratrem Venerabilem" appellatum. Propter quod Litteras Apostolicas studeas diligentius intueri, tam in bulla filo et charta, quam in stylo...".

Quoad integritatem autem videndum est an rasurae adsint, aut verba diverso **charactere addita**, etc. Non tamen est necessarium ut **executor** materialiter haec per seipsum examinet, si alii ex officio deposant iam negotia praeparare, ut accidit in Curiis Episcopalibus.

3. DE PRAEVIA NOTITIA AUCTORITATIVE TRANSMISSA. - S. Officium interrogatum: "Se sia valida una dispensa matrimoniale eseguita dall'Ordinario dietro l'avviso telegrafico, prima di aver ricevuto il documento autentico della grazia concessa", respondidit: "Negative, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis". Nunc idem statuitur in postrema parte canonis quoad quaelibet rescripta, quorum notitia communicari debet auctoritate cuiuscumque a quo rescriptum datum fuerit. Circa quod haec notanda sunt: a) requiritur ut notia communicetur auctoritate rescribentis. Si enim privatim transmissa fuerit, **executor** invalide ageret. Nec sufficit ut transmittatur ex.gr. ab illo qui ex officio negotia gerit (il agente), prout circa supra transcriptum S. Officii responsum declaravit S. Poenitentiaria, 15 ian. 1894. Requiritur ut ipsemet agens facultatem ad hoc accipiat a rescribente; quo in casu iam potest significare etiam per telegraphum, dispensationem, et communicationem ex officio seu auctoritate rescribentis;

b) in tali casu constare insuper debet de authenticitate et integritate litterarum; si agens qui iam modo officiali munere suo fungitur notitiam ex officio et auctoritate rescribentis transmisserit, sufficit ad standum pro valore, authenticitate et integritate litterarum, nisi gravia iudicia in contrarium habeantur;

c) communicari debet ipsi **executori**; non tamen adeo materialiter intelligatur ut fieri nequeat mediantibus eius administris, seu aliis personis omni exceptione maioribus.

CAN. 54

1. MATERIA. Determinato in can. praecedente momento a quo exsecutor potest valide munere suo fungi, nunc statuitur an et quando possit ab eodem exsecutor denegari rescripti exsecutio. Distinguitur prout agatur de exsecutore necessario (in I^ paragr.) vel de exsecutore libero (in ?^ paragr.)

2. QUANDONAM EXSECUTOR NECESSARIUS POSSIT EXSECUTIONEM DENEGARE. Diximus prius, rescripta concedi posse in forma gratiosa, seu absque ullo interiecto exsecutore; vel in forma commissoria, ita ut alius diversus a rescribente debeat rescriptum ipsum exsecutioni mandare; in hoc postremo casu exsecutor est necessarius, si eidem nudum ministerium committatur; vel liber, si ipsi tribuatur facultas exsecutioni mandandi rescriptum pro suo prudenti arbitrio et conscientia. Nunc autem, si exsecutor sit necessarius, seu quod idem est, si ipsi nudum ministerium commissum fuerit, generatim non potest denegare eiusdem rescripti exsecutionem. Ratio est quia revera ipse rescribens per seipsum gratiam concessit, et exsecutori aliquid omnino materiale committitur, non autem ut concedat vel non, etiam pro sua prudentia. Diximus generatim, quia in canone tres exceptiones apponuntur, in quibus exsecutor non tenetur exsecutionem peragere, scilicet:

a) si manifeste patet rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis esse nullum. In can. 40 dictum fuit in omnibus rescriptis subintelligendam esse, etsi non expressam, clausulam "si preces veritate nitantur" postea vero quoad subreptionem, seu reticentiam veri exponendi, canon 42 §. 1 tantum exigit ut exprimantur quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda; et hoc adhuc rescripti validitati non officit si adhibita fuerit clausula "motu proprio" prout dictum manet in can. 45; quoad obreptionem autem seu expositionem falsi, unica causa motiva seu finalis ex can. 42 §. 2 sufficit ut sit vera. Denique, numquam vitiatur rescriptum in casibus de quibus in can. 1054, propter subreptionem aut obreptionem.

Nunc autem, exsecutor invenire potest rescriptum nullum propter subreptionem aut obreptionem intra terminos expositos: non tenetur exsecutionem peragere, at si rescriptum exsequatur, nihil agit, quia rescrip-

tum ex se vitio nullitatis laborat. Et quidem non tantum non tenetur, verum et non debet, non potest quia in praedicto casu ageret absque mandato, in re de qua disponere nequit, et periculum habetur ne impetrator rescripti quod nullum est, eo sicut vero utatur. Inter fontes in nota citatos, haec leguntur: "Executor non potest pro suo libitu gratiam concedere vel denegare, sed si pro suo prudenti arbitrio, i.e., iudicio, et conscientia iudicaverit vera esse quae narrata sunt, rescriptum exsecutioni demandare debet, secus exsecutionem denegare tenetur" (S.C.Ep. et Reg. Conchen. 3 sept. 1852).

Sed quid iuris si exsecutor inveniat subreptionem aut obreptionem, non tamen intra gradus qui rescriptum iuxta prius dicta nullum reddant? Non tenetur exsecutionem denegare, imo, generatim loquendo, non potest eam denegare; quia in canone non agitur de qualibet subreptione aut obreptione, de qualibet veri reticentia aut falsi expositione, sed de illis quae rescriptum nullum reddunt. Ideoque, si legislator, si Codex tantum vult absentiam subreptionis et obreptionis intra terminos expresse dictos sub poena nullitatis, non est cur exsecutor ulterius progrediatur. Diximus generatim, quia si subreptionem aut obreptionem inveniat, non quidem quae rescriptum invalidum reddant, sed aliunde non expediat exsecutionem peragere, posset ipsam differre, et interea rescribentem de re monere.

b) secundus casus in quo exsecutor potest exsecutionem denegare est si in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas. Hic casus non invenitur in "Ordo servandus..." Pii X, unde ca non fere ad litteram desumptus fuit. Conditiones huiusmodi esse possunt vel essentiales vel accidentales; si agatur de conditionibus appositis ad valorem seu essentialibus, exsecutor non tantum non tenetur, non potest ad exsecutionem procedere ante ipsorum adimpletionem, et quidem sub poena nullitatis, ea praecise de causa quia conditiones ipsam essentiam afficiunt. Quid vero si de conditionibus accidentalibus agatur? Exsecutor nec quidem tenetur exsecutionem perficere, quia in canone non distinguitur; at valide agit si non adimpletis conditionibus accidentalibus, exsecutionem peragat? Illicite quidem procederet, sed valide, quia conditiones huiusmodi ipsam substantiam non afficiunt (cfr. Cicognani, p. 253, Ojetti, p. 257)

c) non tenetur exsecutor rescriptum exsecutioni mandare, si ille qui rescriptum impetravit adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; imo, in hoc casu, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem facere debet rescribentem. Haec indignitas esse debet plus minus publica, siquidem agitur de possibili offensione aliorum qui de concessione gratiae sciat, at minime requiritur ut sit notoria, ut vult Cicognani p. 253, nam optime offensio in casu haberetur absque eo quod notoria sit indignitas. Praecipitur ut certior reddatur rescribens, quia ipse deinde videre potest quomodo providendum sit in casu, ex.gr. occulte gratiam elargiendo, ne aliis sit iam veluti offensio si indignus gratiam consequatur, vel eam denegando. Ojetti, p. 257, dum hoc commentatur, scribit: "Patet, quia Romanus Pontifex debet, quantum potest, praecavere scandala, ea praesertim quae ex suis actibus provenirent". Ex quibus videretur agi in casu, ut ante Codicem, de solis rescriptis S. Sedis; quod verum non est, nam locum habere etiam potest in inferioribus rescribentibus qui aliis exsecutionis ministerium committant..

Non tenetur rescriptum exsequi, et debet, intermissa exsecutione, rescribentem monere; at quid si rescriptum exsequatur, illicite tantum, vel etiam invalide agit? Ad hoc Ojetti p. 258 respondet: "Illicite autem ageret, sed valide....modo tamen indignitas esset talis ut secumfert nullitatem rescripti (cf. can. 2265 §. 2275 n. 3, 2283).....ratio illiceitatis tantum....est quia nulla in canone apposita est clausula irritans". At putarem quod in hoc casu exsecutor non tantum illicite verum etiam incalide ageret. Nemo enim, ipse est meris mandatarius, et non tantum procedere debet ob mandati normam, iuxta ea quae in can. sequenti dicuntur, sed cum qualibet ex causa mandatum non habetur aut cessavit, nihil amplius potest. In hoc casu dicitur quod exsecutionem intermittat, ideoque mandatum amplius non habet, et absque mandato nihil potest. Non est eadem ratio ac quando agitur de non completis conditionibus accidentalibus, ut antea diximus, quia tunc mandatum habetur, licet dicatur quod non tenetur exsecutionem peragere, nec ex seipsis hae conditiones accidentales mandato quoad ipsam validitatem officiunt.

3. DE MODO PROCEDENDI EXSECUTOR LIBER. Si rescriptum concedatur in forma commissoria libera, ita ut ipsi nudum ministerium executionis commissum non fuerit, sed eidem concessio gratiae committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare. Circa quod notetur:

a) si rescriptum inveniat nullum propter subreptionem aut obreptionem intra terminos saepe dictos, non tantum potest, tenetur exsecutionem denegare; et si rescriptum exsecutioni mandaverit, nihil agit. Idipsum dicendum est si ex aliis capitibus nullum fuerit ipsum rescriptum; b) si rescriptum nullum non fuerit, exsecutor potest gratiam concedere vel denegare pro suo prudenti arbitrio et conscientia, quod non est idem ac dicere omnino pro libitu: ad concedendam vel denegandam gratiam, arbitrium prudentia et conscientia regulari debet.

4. DE INTEGRA EXSECUTIONE RESCRIPTI. Exsecutor, sive necessarius sive liber, nequaquam potest rescriptum ita exsecutioni mandare ut partem concedat, partem vero deneget, aut gratiam concedere absque rescripti exsecutione; aut totum denegat, aut totum concedit. Si Supremus Moderator religionis, rescriptum obtinuerit a S. Sede ut professi eiusdem religionis presbyteratum suscipere valeant anno aetatis 22 ex. gr., non potest absque rescripti exsecutione praecipere ut alumni ordinentur, nec rescriptum exsequi pro una Provincia, non vero pro alia (licet in casu posset post exsecutionem exigere ut absque propria licentia adhuc non ordinentur). Exsecutor non est nisi mandatarius: si ipsi committatur ut hoc vel illud faciat hoc determinato modo mandato stari sporteat; non ipsi committitur ut absque exsecutione gratiam conferat, aut aliquid concedat, non tamen totum: si rescriptum exsequatur, totum concessum est; si non exsequatur, nihil. (Maroto, p. 333 docet exsecutorem liberum posse minus concedere quam id quod in rescripto indicatur, Sed nisi in eodem rescripto exsecutori hoc concedatur, putarem quod exceptio locum non habeat, ob iam allatas rationes.

CAN. 55

MATERIA. Determinatur modus quem habere debet exsecutor ut valide munere suo fungatur: procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit, et substantialem formam procedendi servaverit exsecutio irrita est. Sequen

cia animadverti possunt:

a) Idipsum praescriptum erat sub iure veteri, ut videre est in ipsis fontibus huic canoni appositis; nonnulli casus leguntur in quibus declaratum fuit nihil egisse qui ad negotium determinatum mandata receperant, et postea ulterius progressi sunt, etc.

b) regula generalis est quod debeat procedere ad mandati normam et planum est, nam xxxxxxxxxx mandatarius mandatis stare debet; si enim Titius committat Caio exsecutionem rescripti vi cuius Sempronio conceditur beneficium A et Titius loco huius beneficii concesserit beneficium B, nihil egit quia ad hoc nullum recepit mandatum. At si fines mandati non transgrediantur, sed tamen non omnia a rescribente praecepta, accurate impleta fuerint, quid de vi exsecutionis? Magis determinatur, sub his formis.

c) Necesse est ad validitatem exsecutionis ut conditiones essentiales in litteris appositis impleverit. Quaenam hae conditiones dici possint essentiales, dignosci potest ex ipsis verbis rescripti, et ex particulis adhibitis, ad normam can. 39. At in canone quem commentamur, conditiones respiciunt exsecutorem (dummodo post diligens examen invenies oratorem idoneum, etc.), in 39 ipsum rescriptum, vel impetrantem; ideoque quae hic praecipiuntur, inutilia non sunt;

d) Etiam sub poena nullitatis servari debet forma procedendi substantialis. Quaenam est forma procedendi substantialis ex duplici capite erui potest: vel in ipso rescripto dicitur expresse, ex.gr. nisi ita processeris, irritum totum sit et inane, aut per similes clausulas (cfr. Barbosa: De clausulis usu frequentioribus, clausula 81); vel praecipitur simpliciter modus procedendi qui iam est a iure communi determinatus. In hoc casu, si modus procedendi ex iure communi requiratur ad substantiam, ad validitatem, illum exsecutor etiam ad valorem servare debet; si ex iure communi requiratur quidem, sed non sub poena nullitatis, exsecutor valide, quamvis illicite, illo praetermisso, agit (cfr. ad rem Oietti, p. 260). Extra casus praedictos, exsecutio nullitatis vitio non laborat.

Can. 35

MATERIA. Determinatur seu praecipitur forma extrinseca exsecutionis rescriptorum quae forum externum respiciunt: horum exsecutio, scripto facienda est. Notetur:

a) duplex est forum: internum seu conscientiae, quod potest esse sacramentale vel extrasacramentale; et externum (cfr. can. 196). Cum ea quae forum externum respiciunt in eodem foro externo probari debeant ab eumdem allegente, expedit ut de exsecutione etiam constet in eodem foro externo: si enim rescriptum datum fuerit in forma commissoria, ante exsecutionem eo frui nequit impetrator. Nunc autem, in foro externo, de rescripti exsecutione multipliciter constare posset: per testes qui exsecutionem audiverint, per ipsius exsecutoris iuramentum, etc.; sed legislator elegit scripturam, quia scriptum documentum authenticum est optimum in casu probationis medium; scriptura siquidem manet, si contingat necessitas probationis post plurimos annos, ex.gr., cum agitur de privilegio mediante rescripto aliquo obtento.

b) tamen, scriptura in casu exsecutionis non requiritur ad valorem; si aliter rescriptum exsequatur, valide agit exsecutor. Est sententia communis inter auctores; et quamvis legislator in casu scripturam exigat, nullibi constat quod praecipiatur ad valorem; et actum de nullitate arguere non possumus, ita statuente ipsemet legislatore (can. 11); nisi expresse vel aequivalenter dicatur; quod quidem in casu non accidit. Valide ergo procedit exsecutor si viva voce rescriptum exsequatur, etiam licite, si ad id causae proportionatae graves adsint. Sed postea impetrator potest prohiberi ne rescripto fruatur si in probatione fori externi deficiat. Tamen, si in ipso rescripto aliud caveatur, verba stari oportet: sic accidere potest ut ad valorem scriptum exigatur; sicut, e contra, aliquando praecipitur ut scriptura non adhibeatur, ut facit aliquando S. Officium dum sacerdotes a ieiunio eucharistico dispensat: praecipit Ordinario ut verbotenus hoc communicet, ne scandalum oriatur.

c) si agitur de rescriptis quae forum internum respiciunt, et quae communiter a S. Poenitentiaria obtinentur (cfr. can. 258) scriptura non praecipitur ex ius-

re communi; imo, saepe in ipsis litteris exsecutori (generatim confessario) iniungitur sub excommunicatione ut statim litteras comburat.

CAN. 57

MATERIA. Statuitur an et quando rescriptorum exsecutor possit sibi alium substituere: potest alium sibi substituere pro suo prudenti arbitrio, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita; si tamen electa fuerit industria personae, committere nequit, nisi actus praeparatorios. Circa hunc canonem animadvertenda sunt sequentia:

a) sub iure veteri claritas hodierna circa rem desiderabatur, ut apparet ex auctoribus; paulatim res evolvitur, ut videre est in fontibus huiusce canonis. Generatim distinguebatur inter veram delegationem et nudum ministerium a rescribente ex parte exsecutoris receptum, seu inter exsecutorem liberum et necessarium: in primo casu permittebatur subdelegatio, nisi aliud cautum fuerit aut electa industria personae; non autem in secundo, quia non agebatur de iurisdictione, sed de nudo ministerio, quod censetur commissum personae;

b) iure Codicis, omissa distinctione inter exsecutorem liberum et necessarium, generatim exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio, iustis nempe de causis, licet non requirantur graves, sibi substituere. Quare dicitur sibi substituere, et non dicitur potius subdelegare? Verbum substituere latius patet quam subdelegare: substitutio comprehendit etiam nudum ministerium aliquod; delegatio autem et subdelegatio innuit potestatem iurisdictioni (cfr. can. 199). Consequentur, etiam hic applicari debent, servatis servandis, canones de potestate ordinaria et delegata. Huic regulae de libertate substitutiones, exceptiones apponuntur.

c) excipitur casus quo substitutio prohibita fuerit; tunc enim si exsecutor alium sibi substituat, nihil agit, quia extra terminus mandati procedit. At potest adhuc in hoc casu, nempe si substitutio prohibita fuerit alicui actus praeparatorius committere exsecutor, si circa eosdem a rescribente nihil dicatur?

"Quilibet exsecutor = Ait Maroto, p. 334 = potest aliis committere actus praeparatorios exsecutionis, v.g. recognoscere authenticitatem et integritatem litterarum, comprobare veritatem precum...". Ojetti autem qui quaestionem ex professo tractat, ita scribit, p. 263; "Sed an tunc prohibita est sine expressa mentione substitutio etiam quod ad actus praeparatorios? Et videtur affirmandum, quia legislator id expressit quod voluit, id quod noluit tacuit: actus autem praeparatorios tacuit in paragrapho prima, expressit in secunda. Ergo in prohibitione substitutionis de qua in § 1 voluit comprehensos actos quoque praeparatorios". At, ni fallimur, potius contrarium concludere debemus hoc est, exsecutorem qui prohibitionem habeat sibi alium substituendi, si nihil de actibus praeparatoriis dicatur, posse hos actus aliis committere. Imprimis arguere possumus ex ipso principio: quod voluit expressit...et contrarium conclusionem educere; non expressit actus praeparatoriis in I^ paragr., ergo non intendit eos prohibere, nisi ex natura rerum ipsa prohibitio sequatur; communiter quidem ex se sunt separabiles actus mere praeparatorios qui permittuntur aliis committi si electa fuerit industria persona, non aliud videtur nisi exceptio specialis apposita primae parti paragr. primae. Insuper, quando personae industria eligitur, est quid omnino specialissimum; rescribens quaerit hominem tecnicum, specialem si adhuc in hoc casu permittitur ut actus praeparatorii alteri committantur, qui saepe influxum maximum in ipsam exsecutionem exerunt, a fortiori permittendi videntur cum eligitur persona, forsitan non ob eius industriam et prohibetur simpliciter substitutio. Etiam haec specialis industria consideratur in canone sequente, dum statuitur in tali casu non posse rescriptum exsequi a successore.

d) excipitur insuper a regula de libera substitutione, si ipsi exsecutori praefiniatur persona quae ipso deficiente, impedito aut nolente exsecutionem peragere, hoc munere fungi debeat. Tunc enim secundus erit verus exsecutor, postquam mandatum receperit, non primus. Si hic actus praeparatorios inceperit aut commiserit, substitutus pro ratos eos habere potest vel non, cum revera ipse fiat vere exsecutor, prout velit.

e) denique in paragr. secunda edicitur casu quo fuerit electa industria personae, alteri tantum committi posse actus praeparatorii, veluti cognitio de veritate precum, testium excusio, et alia huiusmodi. Personae industria eligitur cum propter eiusdem specialem peritiam in re de qua agitur, optior consideratur. Quandonam hoc modo persona eligatur, ex ipsius rescripti tenore dignosci potest. Sane quidem non sufficit si eius munus aut dignitas, vel ipsum nomen indicetur, aut eius prudentia laudetur, ut docebant auctores ante Codicem et docent post ipsum. Aliud esset si ex.gr. ad cognoscendum de aliqua iuris dificillima causa statuatur vir in iure peritissimus, et dicatur quod propter eius specialem peritiam et causae specialem difficultatem eligitur. Ratio prohibendi substitutionem patet; quaesita fuit haec persona habilis, non aliqua persona in genere.

CAN. 58

MATERIA. Statuitur rescripta quaelibet exsecutioni mandari posse etiam ab exsecutoris successore, nisi electa fecerit industria personae. Quandoquidem enim accidit ut ille cui rescripti exsecutio committitur, antequam munere suo fungatur, in officio cessat: cum exsecutio non committatur ratione personae quae illam explere debet, sed ratione officii aut dignitatis quibus fungitur, et ipsum officium aut dignitas permaneant, et alius succedere debeat, merito disponitur ut ipsemet successor sit eiusdem rescripti exsecutor. Consonat regulae 46, in VI° quae ad calcem citatur: "Is qui in iure succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet". Prius res dubiis non caruit; iam ab anno 1888 S. Officium aperte disposuit circa dispensationes matrimoniales quae putabantur commissae Ordinario, ideoque etiam Vic. Gen. et Vic. Capitulari si interea Episcopos mortus erat. Deinde ad omnia rescripta gratiae practice extensum fuit, et demum Codex quibuslibet rescriptis applicavit. Circa Vic. Gen. et Vic. Capitularem, iterum venit sermo in canonibus 368, 435.

Excipitur tamen casus quo electa fuerit industria personae. Quid hoc significet vidimus ad can. praecedentem. Merito quidem in hoc casu non potest re-

scriptum e sequi a successore, siquidem non ratione muneris, sed ratione peritiae exsecutor electus fuerat.

CAN. 59

1. MATERIA. Sub duabus paragraphis duo statuuntur quae ipsam rescripti exsecutionem sequuntur: quid si exsecutor erraverit? Potest iterum rescriptum exsequi. Deinde norma desumenda praecipitur quoad taxas pro exsecutione ex can. 1507 §. 2.

2. DE ITERANDA EXSECUTIONE. Antiquitus hac in re confusio non deerat, praesertim in rescriptis iustitiae, quia putabatur iudicem delegatum post sententiam munus explevisse, nec posse iterum de novo, si erraverat, incipere. Unicus fons qui huic canoni apponitur, ex S. Poenit. 15 ian. 1894, agit de quadam invalida exsecutione, sequentis tenoris: "Che è da farsi se l'attuale Vescovo scopre che alcuni matrimoni, per cause urgentissime, furono contratti dopo la partecipazione dello spedizioniere, e prima che la Curia avesse il Breve originali, mentre le parti sono in buona fede?". Et responsum fuit: "Opus esse nova dispensationum exsecutione". Absque ulla distinctione hodie statuitur exsecutorem posse iterum exsecutioni mandare, si quovis modo inexsecutione erraverit. Et non tantum exsecutor, sed eius successor in officio aut dignitate ad normam canonis praecedentis, quia ad effectus exsecutionis considerantur per modum unius, ob rationes ibidem adductas; insuper, hoc eruitur ex nunc transcripto S. Poenitentiariae responso.

3. DE TAXIS SOLVENDIS PRO EXSECUTIONE RESCRIPTORUM. In paragr. secunda dicitur quod servetur ad rem praescriptum can. 1507 §. 1. In hoc loco determinatur ut taxa pro exsecutione rescriptorum S. Sedis statuatur in Concilio Provinciali vel in conventu Episcoporum provinciae; nullam tamen vim habet ante approbationem S. Congregationis Concilii. Salvatur can. 1056, qui vetat omnino ne Ordinarii locorum occasione concessae dispensationis impedimenti matrimonialis, aliquod emolumenta exigant, nisi expressam facultatem a S. Sede obtenuerint, excepta modica praestatione ex titulo expensarum cancellariae. Sed quid si agatur de exsecutione rescriptorum alicuius Ordinarii infra S. Sedem? Undenam desumi debet norma, cum in canone tantum de rescriptis

S. Sedis sermo fiat? Non immerito ex eodem fonte desumeretur. Si agatur de rescriptis Ordinariorum locorum; at certe quidem non praecipitur; ideoque ipsi rescribentes normam praestituere possunt, secus ipsemet exsecutor videbit. Ratio praefiniendi ea quae proveniunt a S. Sede videtur esse quia ab eadem saepissime rescripta in forma commissoria obtinentur, et esset quid dissonum et odiosum si quis ex S. Sedis concessis beneficiis sibi lucrum comparare cupiat.

De facto tamen S. Sedes statuere solet in ipsis rescriptis a se latis taxam pro exsecutione solvenda. Praestat ad rem aliqua dusumere ex saepe citatis dispositionibus Pii X "Ordo servandus.." P. I. c. XI "1° In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio S. Sedi solvenda et remuneratio agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habeat dioecesana Curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit: quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

2° Taxatio pauperibus sive cives privati sint, sive instituti piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere: ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro scriptione aliisque id genus necessariis.

His in casibus etiam agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur, aut omnino condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

3°. Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum conditio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatur ipsis ius ad plenam aut dimidiam condonationem taxationis onerata utriusque partis conscientia super exposito rum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio resarciendo quidquid iniuria sublatum sit.... Utcumque tamen gratiae validitati nihil unquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem.

4°. In omnibus Officiis, susignatis rescriptis destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit S. Sedi debitam, impensas procurationis, et pecuniae summam pro executione".

S. Poenitentiaria in rescriptis pro foro interno taxam non exigit. Pariter S. Officium gratis elargitur licentiam ad legendos et retinendos libros prohibitos.

CAN. 60

1. MATERIA. Iam denique agitur de cessatione rescriptorum. Cessare possunt ad normam can. 48 in conflictio cum aliis rescriptis; et insuper aliis modis qui nullam praeseferunt difficultatem: lapsu temporis pro quo data fuerant; impleta conditione resolutoria; morte impetrantis, si agatur de gratia personali, renuntiatione, si agatur de re in commodum privatorum; morte executoris si electa fuerit industria persona, si ante executionem decedat, rescriptum non cesset sed alius executor impetrari debet (cfr. Maroto, p. 385). Sub hoc canone agitur de revocatione per peculiarem actum Superioris: rescriptum vigere pergit usque dum revocatio ei qui illud obtinuit significatum fuerit; et de revocatione per legem contrariam: nulla rescripta hoc modo revocantur, nisi aliud in ipsa lege cavetur, aut lex lata fuerit a Superiore rescribentis.

2. DE REVOCATIONE RESCRIPTI PER PECULIAREM SUPERIORIS ACTUM. Rescriptum uti planum est, revocari potest ab eo qui illud dedit, a istius successore aut legitimo Superiore. Sed a quo momento vim non habet amplius rescriptum? Per se, nisi aliud statueretur, rescriptum vim careret a momento revocationis; at incommoda sequerentur ei forsitan impetrater in ipsius rescripti usu permaneat post revocationem, et antequam legitime eius notitia ad ipsum perveniat. Ideoque statutum est ut rescriptum perduret usque dum revocatio obtinenti significetur. Agitur de quibuslibet rescriptis revocatis per peculiarem actum Superioris; si, non revodentur

per peculiarem actum, sed per legem, cavet paragr. secunda. Et notetur quod in canone dicatur usque dum revocatio significetur; non sufficit ut ille qui obtinuerat rescriptum sciat de revocatione modo quocumque; omnino necessarium est ut sciat modo authentico: ideoque, ut ipsi a revocante vel de eius auctoritate et mandato significetur. Quisnam est ille cui significari revocatio debet? Ojetti, p. 268, scribit: "idest, exsecutori, qui illud obtinuit, seu cui commissa est exsecutio, significetur". Quae quidem probanda non videntur. Imprimis excluderentur ab hac peculiari revocatione rescripta gratiosa, seu concessa absque interiecto exsecutore; et nulla ratio afferri potest ad eadem excludenda. Deinde, in canone non fit sermo de exsecutione, sed de illo "qui illud obtinuit"; de impetrante, seu de illo qui rescriptum consecutus est; hoc verbum, inquam, de exsecutore. Ideoque, licet aliquando expediat ut exsecutor hoc etiam sciat, si nempe revocatio intercesserit, et munere suo adhuc functus non est, significatio fieri debet impetranti.

3. DE REVOCATIONE RESCRIPTORUM PER LEGEM CONTRARIAM. Per legem contrariam, diximus, nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata fuerit a Superiore ipsius rescribentis. Regula aliquantulum diversa statuta fuit in can. 22 quoad revocationem legum, tunc eiusdem extensionis, tunc quoad vim legis generalis contrariae statutis locorum specialium. Rescriptum est factum quoddam quod praesumitur a legislatore ignotum; praeterea datur in bonum particulare, licet non semper, ut prius diximus, in commodum privatorum, et hoc bonum particulare servandum censetur componi posse cum bono communi, quod lex respicit: ideoque, licet lex sit contraria, rescriptum remanet, nisi aliud in ipsa caveatur, ut planum est, quia si cavetur signum est quod legislator vult ipsa rescripta auferre, sive ea cognoscat, sive non, et ad cautelam de iisdem auferendis caveat.

Insuper, si lex lata fuerit a Superiore ipsius rescribentis et rescripta aliqua contraria legi habeantur, licet de iisdem in lege mentio non fiat, vim amittunt. Et ratio est quia Superior potestatem exsercet in

inferiorem rescribentem, et in ipsam materiam de qua agit rescriptum; et sicut inferior generatim vulnus inferre nequit in legibus Superioris, ita pariter unitas legislationis, et materiae per legem ordinandae postulat ut non considerentur particularia rescripta advenientè contraria lege; secus accidere posset ut tot essent rescripta inferiorum, quae praesumuntur ignorari a Superiore, ut huius contraria lex, de facto ad nihilum reduceretur. Non eadem est ratio ubi agatur de lege generali contraria statutis particularibus, cum haec maiorem firmitatem, natura sua postulent.

Denique animadvertendum est: licet rescriptum inferioris coram lege contraria Superioris non sustineatur, tamen, si ex praedicto rescripto, seu vi illius rescripti aliquis ius legitime sibi quaesierit, hoc ius quaesitum nequaquam aufertur, nisi mentione de eodem facta.

CAN. 61.

1. MATERIA. Agitur de vi seu durationè rescriptorum S. Sedis aut Ordinarii loci, per ipsius S. Sedis aut dioecesis vacationem. Edicitur rescripta in casu non cessare, nisi ex appositis clausulis aliud apparet, aut contineant potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in iisdem expressis, et res adhuc integra sit. Nihil dicitur de rescriptis aliorum Ordinariorum; saepe in iuribus peculiaribus de hoc cavetur, ex.gr. circa rescripta Supremi Moderatoris religionis. At si nihil caveatur, norma ex hoc canone desumi debet, sive quia ita eruitur ex natura ipsius rescripti, sive quia auctores sub iure veteri loquuntur in genere de concessionibus resoluto iure concedentis; et licet prius vera rescripta intelligerentur tantum quae a S. Sede proveniebant, et nunc ad alios Ordinarios facultas rescribendi, seu nomen rescriptorum extensum sit, quod prius dicebatur de quibuslibet gratiis concessionibus, intelligi debet nunc etiam de iisdem si mediante rescripto elargiantur.

2. DE PERPETUITATE RESCRIPTORUM. Rescripti saepe vis expiicit post determinatum tempus aut exhausto casuum numero: sed ex se si aliis de causis non limite-

tur, in perpetuum durare potest. Quid vero resoluto iure rescribentis? Generatim nec quidem cessat, nisi aliud eius voluntas implicite aut explicite determinaverit; primum ex duplici capite eruitur: ex clausulis, et ex eo quod agatur de concedenda gratia, modo prius dicto.

3. DE CLAUSULA "AD BENEPLACITUM NOSTRUM". Per vacationem Sedis (si de Romana agatur, tantum intelligitur in casu R. Pontifex) rescripta cessant si eruatur ex oppositis clausulis. Clausula frequentior erat et est: "ad beneplacitum nostrum", non confundenda cum alia: "ad beneplacitum Sedis". Haec ad rem leguntur in C. de rescriptis, I, 3 in VI°: "Si gratiose tibi a R. Pontifice concedatur ut beneficia quae tempore tuae promotionis obtinebas posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere, huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat. Secus autem si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum gratia concedatur praedicta, tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata". Licet discussio fuerit inter auctores circa hoc de vi praedictae clausulae in rescriptis et in privilegiis adhibitae, postremis temporibus sententia ex Decretalibus transcripta praevaluit (cfr. Ferraris: Prompta Biblioth. v. Clausulae; Barbosa: Tractatus de clausulis usufrequentioribus, clausula III, Ad beneplacitum).

Codex dum hic clausulas in genere memorat, nihil de iisdem specialiter dicit, sed ad normam c. 6, 2, eodem sensu ac in iure antiquo accipiendae sunt, eo vel magis quia in loco parallelo, can. 73, de privilegiis expresse dicitur.

Non habet eandem vim alia clausula "donec revocavero", ac "ad beneplacitum nostrum"; beneplacitum enim ultra permanentiam in munere extendi nequit; e contra, si quis concesserit quidpiam usque dum revocet, cum requiratur actus positivus ad revocationem, post cessationem rescribentis in munere quocumque modo, iam amplius nequit concessionem revocare, et permanet postea: idem est ac si dictum fuerit "ad beneplacitum Sedis".

Dispensa 18. P. F. Suarez.

Clausula "ad beneplacitum nostrum", non in omnibus locum habere potest: prius adhibebatur in rescriptis, in praeceptis, in privilegiis et aliis concessionibus. De vi huius clausulae in praeceptis late disputatum fuit sub iure veteri; hodie etsi adhibeatur in praeceptis particularibus, seu singulis datis, tamen de iisdem iudicatur ad normam can. 24. Si adhibita fuerit in rescriptis, iam dictum manet de eius vi; similem habet in privilegiis, ut videbitur in can. 73. Sed quid si adhibeatur in aliis, ex. gr. in decretis? Proprie sensum non habet, si agatur de simplici et vero decreto, quia hoc ex se habet quod sit quid legi simile, et non fiunt leges ad beneplacitum cessaturae, sed ex se sunt perpetuae. Consequenter, videatur natura decreti, et non semel apparebit talem clausulam quae apponi consuevit a pluribus Ordinariis, esse quid prorsus inutile.

Demum, aliquando clausula haec: "ad beneplacitum nostrum", ita ab Ordinariis adhibetur ut non habeat plenum sensum iuridicum, sed ex ipso usu et materia dignoscatur subintelligendum esse rem arbitrio ipsius Episcopi aut successorum revocari posse Episcopi ex.gr. conferunt ecclesiam suae dioecesis religiosis familiis sub praedicta clausula; non eo ipso intelligitur quod per episcopi cessationem ecclesia amplius uti nequeant; sed tantum innuitur quod non agatur de vera donatione, sed quod res possit revocari cum ipsi aut successoribus placuerit. Tamen, fatendum est, si ipsa verba sensu iuridico adhiberentur, quamplurimae quaestiones, iurgia, anxietates in praxi vitarentur.

4. ALIUS CASUS CESSATIONIS PER VACATIONEM SEDIS. Si rescriptum contineat facultatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis, in eodem expressis, et res adhuc sit integra. Circa hoc notari potest: a) = agitur de rescripto concesso in forma commissoria libera, ut ex ipsis canonis verbis eruitur; b) = non agitur de facultatibus habitualibus, quae diiudicantur ad normam can. 66, seu generatim permanent, prout etiam erat sub iure veteri (cfr. C. 36, de praebendis et dignitatibus, III, 4, in .I°; inter fontes citatur); serma est de casu peculiari, et de personis

in eodem rescripto expressis: ex.gr. Titio conceditur facultas permittendi ut Caius valeat hora prima matutina missam celebrare; c) requiritur ut res adhuc sit integra, hoc est, ut ille qui debet gratiam concedere, manus huic negotio nondum apposuerit, nec quidem per actus praeparatorios: si enim incoepit, rescriptum iam non cessat licet executio nondum expleta fuerit. Si executor invalide egerit, et post vacationem Sedis hoc invenerit, potest dici quod adhuc res sit integra, ita ut iterum executioni mandari nequeat? Ex una parte dicere possumus quod res adhuc sit integra, quia qui invalide agit, nihil egit (cfr. Cicognani, p. 268; Vermeersch, p. 116); at non certo videtur res esse undequoque integra, ita ut applicari nequeat beneficium can. 59, iuxta quem, executori fas est, si quoquo modo executione erraverit, iterum rescripta executioni mandare: res est integra quia nondum gratia obtenta fuit, neque actus validus in hunc scopum habentur; non est integra, ex omni parte, quia re vera executor manus apposuit.

Ratio huius praescripti esse videtur quia tunc nullo modo ius acquisivit nec impetrator, nec executor; non primus, quia agitur de gratia nondum facta, sed facienda; non secundus, quia rescriptum non erat concessum in eius bonum (cfr. Ojetti, p. 272)

CAN. 62

MATERIA. Denique, canon ultimus tituli de rescriptis, casus praevidet in quibus rescriptum non simplicem gratiam contineat, sed privilegium aut dispensationem; tunc praescribitur ut serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur, sub duobus titulis de privilegiis et de dispensationibus. Ideoque praescripta canonum praecedentium, de rescriptis, minime negligenda sunt ubi agatur de privilegio aut dispensatione per rescriptum obtentis, sed cum dispositionibus sequentium canonum cumulanda sunt.

Simplex gratia in casu privilegio et dispensationi contraponitur; sensus horum videtur quod exponitur a Toso (p. 150), sub his verbis: "cum dispensatio sit semper gratia contraius, privilegium vero gratia contra aut praeter ius, semper tamen permanens, nomine simplicis gratiae rescripto concessae (de qua, si

cut etiam de rescriptis iustitiae, hoc in titulo agit), Legislator videtur intelligere gratiam, quae et praeter ius datur et modo non permanenti".

TITULUS V

DE PRIVILEGIIS

1. DE IPSO TITULO. Institutum de privilegiis, iam inde a romanorum iure proveniens, celebre fuit in iure Decretalium. Quamplurima iura orta sunt ex privilegiis, et saepe in iuribus tuendis aut vindicandis ad eadem privilegia confugiebatur. Celeberrima sunt praesertim privilegia regularium. In hac materia quoad ius vetus utiliter consuli potest Ferraris (Prompta Bibliotheca, v. Privilegium).

Codex, clariori modo, fundamentaliter ius vetus refert sub hoc titulo, aufert tamen alibi (can. 613) rem sat momentosam ante ipsum, communicationem nempe privilegiorum inter religiones.

2. PRIVILEGII NOTIO, HISTORICA EVOLUTIO ET DIVISIO. Nonnulla circa haec, cetera vero sub respectivis canonibus.

Privilegium sensu latissimo dici potest ius aliquod contra vel praeter legem alicui permanenter acquisitum (cfr. Toso, p. 154). In iure romano non una fuit omni tempore privilegii notio. Antiquitus significavit legem seu dispositionem contra privatum; deinde dispositiones quasdam ipsarum legum, quibus beneficia aliqua concedebantur nonnullis personis virorum regulae generali non subdebantur ut restitutio in integrum, beneficium competentiae, et alia huiusmodi. In iure canonico a Decreto saltem Gratiani innuit ius favorabile pariter quibusdam concessum.

Sumi potest privilegium stricto vel lato sensu: Stricte, privilegium dici solet lex privata favorabilis seu determinatio competentis Superioris qui beneficium quodlibet alicui concedit (privilegium objective sumptum); seu facultas alicui a Superiore concessa (privilegium subiective sumptum). Dicitur lex privata, non praecise quia privilegium sit revera semper lex stricte talis; potius enim diceretur in genere, norma re-

vera lex est ad bonum commune, et ideo non datur privatis; insuper, lex obligationem inducit in illis qui ipsi subiiciuntur; privilegium e contra non inducit obligationem in privilegiatis, nisi alio ex capite obligatio exurgat (can. 69), vel nisi datum fuerit per modum legis, ut habet can. 72 §. 4. Attamen, sub aliquo respectu dici posset lex obligans alios ne privilegio donatum disturbent; quamvis hoc improprie diceretur, nam haec obligatio alios in iuribus suis non disturbandi ex ipsa rerum natura oritur. Cum ergo non sit vera lex, non indiget promulgatione; requiritur tamen ut modo debito de eodem privilegio constet illis a quibus exigitur ne privilegiatus disturbetur. Circa vero notitiam et acceptationem, quidquid fuerit de iure antiquo, hodie potius applicanda sunt quae Codex tradit in can. 37 de rescriptis: concedi possunt etiam praeter privilegiati assensum; et licet hic possit gratia concessa non uti, generatim valet ante eius acceptationem. Lex seu norma dicitur privata quatenus alicui vel aliquibus, non omnibus gratiam seu favorem concedit.

Privilegium late sumptum est aliqua lex singularis qua determinatis coetibus personarum, locis, etc. gratia conceditur, ut sunt privilegia clericorum, religiosorum, Cardinalium. Facultas inde orta est privilegium subiective sumptum. Haec privilegia utpote leges, indigent promulgatione, et regulantur generatim legum normis. Inveniri solent in ipso iure communi, et ideo antea dicebantur clausa in Corpore iuris, ut distinguerentur ab illis quae per rescriptum aut viva vocis oraculum vel aliis modis dabantur. Ad rem Ferraris(Prompta Bibliotheca, v. Privilegium, n. 4): "Secundo, privilegium dividitur in privilegium clausum in corpore iuris, et in privilegium extra corpus iuris, seu datum per speciale rescriptum principis. Privilegium clausum in Corpore iuris est quod inter alia iura, seu alias leges corpori iuris insertum est, ut sunt privilegia ecclesiarum et ecclesiasticorum.... Privilegium extra corpus iuris est illud quod per speciale rescriptum principis, seu per speciales litteras, vel per bullam diploma seu indultum alicui personae, communitati vel loco est concessum et nondum iuri communi est insertum". Etiam can. 71 loquitur de privilegiis in codice contentis, et de aliis quae sunt extra ipsum.

Differt ergo privilegium: a) a rescripto; hoc enim est responsum scripto datum ab habente rescribendi facultatem, et continere potest non tantum privilegium, sed insuper quamplurima inveniuntur rescripta, quae unice continent simplicem dispensationem, decisionem causae, etc. Praeterea, privilegium non semper scripto datur, sed etiam vivae vocis oraculo, et insuper aliis modis acquiritur, ut suo loco dicetur: b) a dispensatione, quae semper est contra ius, eo saltem sensu quod lex generatim viget et in casu particulari relaxatur (nam posset quis dicere quod non semper dispensatio est contra ius, quia in eodem iure non tantum permittitur, sed praecipitur ut in nonnullis adiunctis lex dispensatur; ex.gr., in nonnullis religionibus praecipitur in ipsis constitutionibus ut alumni determinati, puta studentes, a quibusdam observantiis studiorum tempore dispensentur): privilegium non tantum est contra, sed etiam praeter ius; et adhuc cum contra ius datur, est quid permanens seu maiori stabilitate concessum, dum dispensatio respicit tempus aut casus determinatos, ideoque est veluti quid transiens: c) a gratia vel beneficio, cum haec sint quid non stabiliter facultatem conferentia, et licet omne privilegium sit gratia aut beneficium, non e converso; d) denique, a lege communi, quia haec in bonum commune datur, privilegium in bonum alicuius personae, vel coetum, etc. obligat ad sui observantiam indiget promulgatione; quae omnia non semper eveniunt in privilegiis, (cfr. Cappello, p. 144; Maroto, p. 343).

Dividitur privilegium multiplicetur: prius iam diximus quod privilegium sumi potest stricto vel lato sensu; per modum legis aut per modum liberae facultatis; alia continentur in iure communi seu in Codice, alia vero extra ipsum. Insuper, privilegium esse potest:

a) Contra ius, aut praeter ius. Primum eximit a lege illum qui ipsi legi subditur; secundum, aliquid concedit quod ex lege non concedebatur. Daturne privilegium secundum ius? Hoc notioni ipsius privilegii repugnat. Non semel tamen antea quod iam a iure communi competebat iterum per particulares dispositiones aliquibus directas veluti confirmatur, et tunc est veluti declaratio ipsius iuris non spernenda (cfr. Maroto p.

341 , nota). At ex hoc sequitur quod ablato iure communi maneat illa veluti nova concessio seu confirmatio? Affirmat Vermeersch, p. 117, quia, iuxta ipsum, licet non dentur privilegia secundum ius attenta materia, dari possunt obtenta forma, modo iam dicto, ideoque ex novo subsistente titulo, subsistere debent. Sed ad hoc constare debet ex clara intentione ipsius concedentis, quod difficiliter demonstrabitur; secus potius dicendus est legislator intentionem tantum habuisse legem memorandi aut urgendi. Hoc praesertim antiquitur accidit inter religiosos; quod iam eis communiter competebat iterum memorabatur in epistolis ad generalia capitula directis, quibus Romani Pontifices non semel religionibus alloquebantur. Sed de his difficile est iudicium ex omni parte perfectum proferre.

b) favorabile et odiosum: primum favorem privilegiato confert absque onere tertii; secundum, ita gratiam alicui dat ut aliquod praeiudicium tertio afferat.

c) Affirmativum et negativum, prout facultatem tribuat faciendi aliquid, aut aliquid omittendi.

d) Motu proprio, aut ad instantiam concessum. Primum potest revera concedi absque ulla petitione, at non hoc necessario innuit, sed tantum quod si rescripto ex.gr. concedatur, clausula illa denotat benevolentiam seu propensionem animi concedentis (cfr. c. 45); secundum, concediter ad preces et absque clausula motu proprio.

e) Gratiosum, si concedatur ex mera liberalitate; remuneratorium, si concedatur ob praestita servitia; onerosum seu conventionale, si contractus cum mutua obligatione interveniat; absolutum aut conditionale prout conditioni non subeat aut ipsi subiiciatur.

f) adquisitum primo et per se, seu per directam concessionem, et adquisitum ad instar, seu ad modum privilegii alteri iam concessum; prout concedatur directe, aut aliis communicetur privilegium antea alicui datum. In hoc postremo casu esse potest accessorie, vel aeque principaliter.

g) scriptum et non scriptum, prout litteris obtentum fuerit, aut vivae vocis oraculo vel aliis modis acquirendi, perpetuum aut temporale, prout absque temporis limitatione aut cum illa concedatur; commune, seu datum intuitu boni communis, et privatum, seu datum intuitu boni privati.

h) personale aut reale; primum directe conceditur personae ratione sui, secundum directe seu immediate conceditur alicui rei: loco, dignitati muneri... mediate vero, personis conceditur illis rebus determinato modo adhaerentibus (privilegia enim semper pro personis sunt). Privilegia personalia quae dantur personis physicis individuis, vocari solent singulariter personalia; si dentur alicui personarum generi, vocantur communiter personalia; si corpori seu personae morali dentur, vocari solent corporalia. Privilegia realia dici solent localia, si locis dentur; muneralia, si muneribus, officiis aut dignitatibus; proprie realia, si aliis rebus (cfr. Maroto, n. 293; Ojetti, p. 276 et 306; Cicognani, p. 275; etc.) (1).

3. ORDO CANONICUM. Imprimis agitur de adquisitione privilegiorum (can. 63-66); de modo privilegia ipsa interpretandi (can. 67-68); de usu et de duratione (can. 69-70); et denique, de cessatione (can.71-79)

CAN. 63

1. MATERIA. Agitur in hoc canone de diversis modis acquirendi privilegia: Acquiri possunt imprimis per directam concessionem competentis auctoritatis, per communicationem, et per legitimam consuetudinem aut praescriptionem. Insuper, edicitur possessionem centenariam vel immemorabilem praesumptionem inducere concessi privilegii.

2. DE PRIVILEGIIS ACQUISITIS PER DIRECTAM CONCESSIONEM. Privilegia conferre potest competens auctoritas ecclesiastica, seu illa quae legislativa potestate gaudeat; quia privilegium aliquam legis rationem induit, et praeterea, saepe dispensationem a lege continet. Quilibet enim legislator privilegia conferre valet intra limites et materiam sibi subiectam. Privilegia ergo principaliora et frequentio-

---

1) De hac re videri potest D'Angelo in Eph. "Apollinaris", jan.febr. 1928, p. 36 sqts.: "De fundamento discriminis inter privilegium reale et privilegium personale in Codice Juris Canonici. "Ipse tenet fundamentum distinctionis sumendum non esse ex

ra sunt quae a S. Sede provoniunt. Contra ius, tam commune quam particulare, quod a Romano Pontifice provenit, nullus inferior privilegium donare valet. Possunt ne ab inferioribus concedi privilegia praeter ius commune? Affirmative respondent nonnulli, ut Cicognani (p. 279), quia et ipsi possunt condere léges particulares praeter ius commune; distinguit Cappello (p. 146) hoc modo: cum ex privilegio stricte dicto obligatio imponatur universae Ecclesiae privilegiato non disturbandi, hoc concedi non potest nisi a R. Pontifici, cui proinde soli reservatur facultas privilegia proprie contra ius commune concedendi; privilegium quo praedicta non disturbandi obligatio tantum subditis concedentis imponatur, ab inferioribus concedi valent. Sed in privilegiis directe et primario non consideratur onus ceteris impositum sed grátia privilegiato concessa. Et ita forsitan melius diceretur legislatorem in his casibus privilegium conferre posse quidem praeter ius commune, at extra proprium territorium privilegium non sustineri nisi agatur de rebus quae etiam extra territorium vim exserunt, aut de materiis seu privilegiis quae tertio onus non imponant, et proinde nullum inconveniens sequitur si adhibeantur ex.gr. a religiosis alicuius familiae.

DE PRIVILEGIIS ACQUISITIS PER COMMUNICATIONEM. Habetur proprie acquisitio privilegii per communicationem cum modo antecedente statuitur omnia privilegia, aut privilegia alicuius generis quae alicui aut aliquibus concedantur, eo ipso aliis determinatis intelliguntur concessa, quae proinde ipsis frui valent. Etiam modo particulari statui potest ut quis aliis concessis antea privilegiis fruatur. Celebris fuit inter mendicantes, quae quidem nunc ex can. 613 ablata fuit,

---

subiecto passivo, seu quia alia rebus, alia personis immediate conferantur, ut communiter fit ab auctoribus, neque ex effectibus, seu ex eo quod alia permaneant, alia vero non, sed "ex diversitate causae proximae privilegii in subiecto".

ita ut quae concedebantur Dominicanis, ex.gr. eo ipso a Franciscanis obtinebantur (1). Circa haec, cum saepe difficultates oriantur, sub iure ante Codicem consuli potest Ferraris (Prompta bibliotheca, v. Privilegium).

Ex Codice notanda est parag. 2 can. 613, de communicatione privilegiorum Ordinis regularis monialibus eiusdem Ordinis; can. 713, qui citatur in nota, de gratiis quas religiosi communicare valent confraternitatibus piisve unionibus a se erectis; et can. 722, pariter citatus in nota, de gratiis quae communicari possunt ab archiconfraternitatibus vel primariis unionibus, aliis confraternitatibus vel piis unionibus sibi aggregatis.

4. DE PRIVILEGIIS ACQUISITIS PER LEGITIMAM CONSUETUDINEM. Quaenam sit legitima consuetudo, et de conditionibus ad eam inducendam, sive fuerit praeter, sive contra ius, sub titulo de consuetudine dictum manet. Ratio cur consuetudo dicatur inducere posse privilegium est quia ipsa potest legem derogare (consuetudo contra ius), aut novam normam inducere (consuetudo praeter ius aut legem); ideoque consuetudo normam inducere potest in favorem illius communitatis quae valet consuetudinem introducere, quae constituat privilegium.

5. DE PRIVILEGIIS ACQUISITIS PER PRAESCRIPTIONEM. Persona moralis quae capax non sit inducendi consuetudinem potest aliquid praeter aut contra ius obtinere vi praescriptionis; et inde privilegium. Eadem persona moralis capax inducendi consuetudinem potest pariter vi praescriptionis privilegium aliquod consequi. Notum est in praescriptione plura requiri: materia apta seu res praescriptibilis, titulus, bona fides, tem-

---

1) Nota est discussio inter auctores, an nempe can. 613 revocaverit privilegia ante Codicem obtenta ex communicatione inter religiones; est quaestio momentosa, cum plura privilegia ita obtenta fuerint, nec semper statim directus privilegiatus appareat. Auctores diversa sentiunt; sed usque dum contrarium declaretur, uti possunt religiones privilegiis sic obtentis.

pus legitimum, possessio continua. Plura sunt quae praescriptioni non subiacent: ut ea quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico (can. 1509), et in nonnullis canonibus memorantur, ut de administratione sacramenti confirmationis a simplice presbytero dicitur in can. 782. Pariter, laici non possunt praescriptione sibi acquirere iura spiritualia quorum ipsi non sunt capaces (can. 1509). Haec sudulo attendenda sunt in diversis materiis, etiam in nonnullis quae ex iure Codicis amplius non permittuntur. Sic ex.gr. hodie amplius non permittitur in ecclesia sepelire fideles; praetermissa quaestione de possibilitate vel minus iuris quaesiti ex hac parte, adhuc habetur alia quaestio; an nempe quis ius exercere valeat super sepulcrum antea in ecclesia obtentum, et praesertim in ecclesiis regularium; et notandum est quod iam antea ius sepulcri seu alicuius aediculae in ecclesiis regularium, perpetuum et exclusivum, ab una Sede Apostolica obtineri poterat (cfr. Ferraris, v. Praescriptio). Consequenter fundamento carent quae hodie a nonnullis asseruntur circa rem.

Requiritur insuper ad praescriptionem titulus quo possessio innitatur; bona fides in praescribente; possessio non interrupta; actus tamen possessionis diversi esse possunt, iuxta diversas materias. Hic pariter notari oportet illud "in facultativis nulla praescriptio"; quod effatum caute accipiendum est.

Denique, requiritur sufficiens tempus transactum. Quot tempus? Ante Codicem diversae erant sententiae ad rem, ut vidimus loquendo de consuetudinibus. Jure Codicis quaedam determinantur in libro tertio; ex/gr. ad praescribendum contra S. Sedem requiruntur centum anni, contra aliam personam moralem intra Ecclesiam triginta; contra aliam personam physicam, ex.gr. contra Episcopum, deest regula; can. 1508 recipit normam ex diversis nationibus quoad ea quae ad rem in Codice non contineantur; sed ex eo quod Codices civiles tempus in casu assignare non soleant, Vermeersch regulam desumendam ait ex ea quae traditur pro personis moralibus, triginta nempe annorum, ex can. 20 pro lacunis implendis arguens. Huic adhaeret Cappello (p. 150) E contra, Ojetti tenet applicandam esse regulam de

consuetudinibus, et consequenter, ad obtinendum quod-libet privilegium et a quocumque contra quemcumque, ex praescriptione, requiruntur et sufficiunt 40 anni. Ipse ait: "ea quae de praescriptione statuuntur in cc. 1508-1511, non valere pro casu nostro, quia ibi vel agitur de bonis ecclesiasticis...dum iura de quibus hic agitur, sunt iura contra vel praeter legem ecclesiasticam" (p. 283, nota). Re quidem vera, si privilegii natura bene perpendatur, et ad ipsum quaestiones de praescriptione sub hoc titulo unice referantur, fundamento non carent quae tradit Ojetti. Tamen, saepe auctores indifferenter loquuntur de praescriptione-privilegio, et de praescriptione tanquam de modo acquirendi et se liberandi; non semel etiam difficile est unum ab alio secernere. Non immerito ergo unum vel aliud tempus applicabitur, prout agatur vel minus de vero privilegio. Denique, si praescriptio inceperit ante Codicem, non autem finita fuerit, dubia occurrere possunt, et de hoc aliquid diximus ad can. 10 ubi de irretroactivitate legis et de iure quaesito. Circa praescriptionem utiliter consuli potest S.C.Concilii, 9 julii 1921; et "Il Monitore Ecclesiastico", super eadem causam, 1922, p. 75 sqts.

6. DE POSSESSIONE CENTENARIA AUT IMMEMORABILI. Postquam in parag. prima actum fuit de modis acquirendi privilegium, sub parag. secunda statuitur quaedam praesumptio in favorem illius qui iam ab antiquo possidet. Possessio centenaria, dicitur, vel immemorabilis, inducit praesumptionem concessi privilegii. Ante omnia notari debet quod agitur de praesumptione tantum iuris, et ideo contrariae veritati cedere debet. Ojetti tamen docet agi de praesumptione iuris et de iure, quod non demonstrat. Liberatur talis possessor ab onere probandi concessum privilegium, quod quidem fieri debet ab aliis aliud asserentibus; sufficit ut possessionem ostenderit. Dat etiam praesumptionem concessi privilegii apostolici, seu habetur, in rebus ac iuribus ad quae necessarium est privilegium apostolicum. Possessio de qua hic agitur dicitur "rei iurisve detentio animo domini". Consequenter, simul requiruntur rei iurisve detentio, et animus detinendi ut dominus. Sed ulterius

quaeritur: sufficit quaelibet possessio, licet illegitima, ex.gr. illius qui vi, clam, aut precario possidet? Sufficit quaelibet fides, etiam mala, aut requiritur possessio legitima, et bona fides? Primum asseritur a Cicognani, (p. 283); secundum, ab Ojetti, (p. 283). Postremam sententiam amplectimur, quia in casu non agitur de novo modo acquirendi privilegium, ita ut omnia favorabilissima privilegiato agnoscuntur; sed tantum in honorem tam longae possessionis, ipsi datur suppositio concessi privilegii; ita tamen, quod si possessio illa cedere debeat veritati de non concesso privilegio, si agatur de re obnoxia praescriptioni, adhuc sustineatur privilegium ex praescriptione ordinaria, ad normam eorum quae supra dicta sunt.

CAN. 64.

MATERIA. Statuta communicatione in canone praecedente ut modus acquirendi privilegium, nunc pressius determinatur quaenam privilegia communicari valeant. Tantum communicantur, etiam in forma aeque principali, quae directa, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti cui fit communicatio.

Ideoque, quamvis agatur de communicatione in forma aeque principali (quo in casu privilegium subsistit in illo qui privilegium per communicationem adeptus est), licet pareat in primo privilegiario, secus ac in communicatione in forma accessoria, quo in casu privilegium communicatum vices sequitur privilegii in primo privilegiario), ad communicationem requiritur: a) ut privilegium directe concessum fuerit primo privilegiario (iure antiquo communicari poterant etiam obtenta per communicationem); hoc statuitur ne communicatio indefinite protrahatur, aut nimis longe; b) ut perpetuo concessa fuerint primo privilegiario (ita pariter ante Codicem); secus potius consideratur ut gratia concessa alicui ob speciales circumstantias, ideoque personaliter; c) sine speciali relatione ad locum, puta, ad determinatam ecclesiam; ad rem, ex. gr. huic B.Virg. imagini aut personam ex. gr. Titio, ob servitia praestita,

et qui casu est Prior talis conventus. In his casibus agitur de concessionibus quae, ex ipsarum natura, ad alios transire non debent; d) haberi denique debet ratio de capacitate illius subiecti cui privilegia communicantur; sic, regulares communicare nequeunt monialibus eiusdem Ordinis privilegia quarum ipsae non sunt capaces, ut illa quae requirunt aut supponunt ecclesiasticam iurisdictionem.

CAN. 65

MATERIA. Sermo est de sorte privilegii obtenti per communicationem, cum quolibet modo immutatur privilegium directe concessum.

Si privilegia acquirantur per communicationem in forma accessoria, Reg. Iur. 42 in VI° = applicatur: "Accessorium naturam sequi congruit principalis". Augentur, imminuuntur vel amittuntur ipso facto, si forte augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario. Ad rem citatur in nota quaedam responsio S.C. Indulgentiarum, 31 ian. 1893: "Utrum tuta sit opinio quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis coeteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur? Resp.: Negative, imo falsa".

E contra, si agatur de communicatione in forma aeque principali, quia tunc privilegium ita obtentum consideratur ut aliquid ex se subsistens, et quidquid fuerit de privilegio in principali privilegiario, privilegium communicatum manet ut obtentum fuit.

CAN. 66

1. MATERIA. In hoc canone sermo est de facultatibus habitualibus. In tribus distinctis paragraphis statuuntur: natura harum facultatum, quandonam transeunt ad alios Ordinarios qui in munere succedunt, et denique, quid concessa facultas secumferat.

2. DE NATURA FACULTATUM HABITUALIUM. "Facultates habituales seu indulta de quibus in hoc canone agitur sunt facultates quaedam hunc vel illum actum ponen-

di, qui vel naturą ipsa sua vel reservatione positiva ad superiorem pertinet" (Gasparri, p. 287). Facultas autem potest esse particularis, ad ponendum nempe actum determinatum, vel habitualis, seu generalis: hae postremae aut conceduntur in perpetuum, aut in praefinitum tempus, aut ad certum numerum casuum. Quocumque ex tribus postremis modis concedatur, facultas dicitur habitualis (ante Codicem disputabatur de facultatibus ad certum numerum casuum, an dicendae essent vel minus habituales). Facultates habituales, modis praedictis concessae, accensentur privilegiis praeter ius. Minime autem sunt contra ius, quia si agitur, ex.gr. de dispensatione, in illa duo considerari possunt: facultas ipsa dispensandi, et dispensatio ipsa; postremum est contra ius, sed facultas dispensandi taliter concessa, est semper praeter ius, ut apparet ex ipsa notione facultatis habitualis. Late igitur interpretanda est haec facultas.

3. DE FACULTATIBUS HABITUALIBUS AB APOSTOLICA SEDE CONCESSIS, RESOLUTO IURE ORDINARII CUI CONCESSAE SUNT. Generatim, facultates habituales concessae Ordinariis ab Ap. Sede, non evanescunt resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi coeperit eas exsequi, sed transeunt ad Ordinarium qui ipsis in regimine succedit; pariter, concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali. Duae exceptiones apponuntur: quando electa fuerit industria personae, et quando aliud cautum fuerit; in his casibus concessae facultates habituales non transeunt ad successores. Quid simile iam dictum fuit in canone 58 de exsecutione rescriptorum. Ratio est quia huiusmodi concessae facultatis habituales, dantur generatim officio, non personae, sunt reales; ideoque, persona deficiente, expedit ut maneant; et pariter, concessae Episcopo, expedit ut competant Vic. Gen., qui etiam est Ordinarius. Praecipuae facultates quae S. Sedes concedit Ordinariis locorum sunt facultates quae dicuntur quinquennales. Merito haec praedicta statuta fuerunt diversis temporibus a S. Sede, et praesertim in variis documentis S. Officii quae citantur inter fontes huius secundae paragrapgi (litt. encycl. 20 febr. 1888; 24 nov. 1897; decr. 20 apr. 1898; 3 maii 1899, etc.). Exceptiones pariter intelliguntur; nam si aliud cautum fuerit in concessione facultatis, ne scilicet ad

alios transeat, concessioni standum est. Si vero electa fuerit industria personae, est quid personale, non reale, et non transit ad successores (cfr. dicta ad can. 57).

Hic agitur tantum de facultatibus habitualibus a S. Sede Ordinariis quibuslibet, ad normam can. 198 § 1, concessis; sed quid si a S. Sede aliis concedantur, ex.gr. Supremo Moderatori religionis clericalis non exemptae. Pariter censendae sunt concessae officio, et ideo transeunt ad successores, eodem modo. Secus si determinatis personis concedantur. Si agatur de facultatibus habitualibus ab aliis infra S. Sedem concessis, standum est particularibus dispositionibus, quae saepe eodem modo officium potius quam personam attendere solent.

4. QUAE SECUMFERAT CONCESSA FACULTAS. Denique, in tertia paragrapho statuitur: concessa facultas secumfert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae. Et exemplum idem adhibetur: quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae.

Citantur ad rem in nota quaedam regulae iuris, ut illa: "Plus semper in se continet quod est minus" (35a). Ceterum, per se patet quod requiratur ut potestas necessaria intelligatur pariter concessa; secus esset quid irrisorium. Circa adductum exemplum de dispensationibus, hodie non adeo facilitor eveniet sicut antiquitus, cum censurae non eodem modo obstent gratiae consequendae.

CAN. 67

MATERIA. Agitur de interpretatione privilegiorum, cum nullam, aut saltem specialem difficultatem, praeseferunt. Tunc privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere; seu quod idem est, unam patitur interpretationem declarativam, non autem extensivam nec restrictivam (cfr. dicta ad can. 49, circa interpretationem rescriptorum). Ratio est quia privilegium est beneficium principis, et princeps concedit quibus voluit, et modo a se volito et determinato; et hoc quamvis agatur de privilegiis

obtentis consuetudine aut praescriptione, quia etiam in his casibus habetur determinatio generalis et antecedens principis qui illam acquisitionem permisit atque regulavit. Hinc regulae iuris quae citantur inter fontes: "Quae a iure communi exorbitant, noquaquam ad consequentiam sunt trahenda" (28a); "Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum" (74a).

CAN. 68

MATERIA. Accidere potest ut, perpenso privilegii tenore, dubium adhuc positivum de eiusdem significatione ac sensu maneat, et consequenter videndum est quo criterie, an nempe lato vel stricto procedendum est. Statuitur applicandam regulam in can. 50 de rescriptis traditam: "in dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique, impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia, latam". Interpretatio ac sensus horum verborum videri possunt sub eodem can. 50.

Aliquid tamen maximi momenti additur in fine canonis: "sed ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti". Et merito quidem, quia si in privilegio aliqua gratia non concedatur, extra quaestionem versamur, nam minime ageretur de privilegio, quod semper supponit privilegiato aliquid favorabile. Verba fere ad litteram desumpta sunt ex Honorio III (c. 30, X, v, 33). Miratur Pontifex de modo interpretandi privilegium a se concessum Fratribus Praedicatoribus et Minoribus, vicuius poterant, ubicumque fuerint, cum alteri viatico celebrare; nonnulli tenebant hoc sine Praelatorum assensu facere non posse; et ait: "fraternitati tuae mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata, dum tamen ab aliisquae iure paroeciali proveniunt prorsus abstineant; datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas pubblicare, ita quod dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti."

P. E. Suarez

Denique notandum est regulas huius canonis applicandas esse in dubio quibuslibet privilegiis, quocumque modo ad normam can. 63 obtenta fuerint; Ojetti (p. 293), ita loquitur, ut videatur hoc restringere ad privilegia rescriptis obtenta, sed nulla afferri solida ratio potest ad hanc limitationem statuendam: canon loquitur in genere, de privilegiis.

CAN. 69

MATERIA. Agitur de obligatione vel minus utendi privilegio in favorem dumtaxat privilegiati concesso. Privilegium alicui concessum est gratia ut possit hoc vel illud facere, ab hoc vel illo abstinere: consequenter, si agitur de gratia, de facultate, expedit ut quis possit ea uti si velit, vel ea non uti, quia si exurgeret obligatio, potius aliquod onus haberetur. Hinc Reg. Jur. 61: "Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum". Merito igitur in canone statuitur: nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso. Aliud quidem esset si unice in sui favorem concessum non fuerit, sed ut aliis quoque inserviat.

Exceptio praedictae libertati apponitur: nisi alio ex capite exsurgat obligatio. Haec enim obligatio Non promanat ex eodem privilegio, nisi per accidens. Sit exemplum quod plures auctores adhibere solent aliis contradicentibus: qui indulto oratorii privati fruitur, si diebus festis nequeat e domo egredi, tenetur hoc indulto uti, si pariter proportionatum gravamen hoc non impediat.

Circa cessationem per non usum, attendi debet praesertim can. 76.

CAN. 70

MATERIA. Praesumptio statuitur in favorem perpetuitatis privilegii: nisi aliud constet, censendum est perpetuum. Ratio habetur in Reg. Jur. 16., in nota citata "Decet concessum a principe beneficium esse mansuram". Pariter, in alio fonte idem invenitur: Quaesivit ab Innoc. III quidam Legatus Apostolicus de vi exemptionis a decimis solvendis concessae a suo praedecessore in

Legatione cuidam Monasterio; Sum. Pontifex respondiit: "intellexisse videtur de decimis non solum possessionum illius temporis, sed futuri" (c. 22, X, V, 33).

Saepe tamen aliud constabit, ut si datum fuerit ad tot annos, ad tot casus. Sed si dubium habeatur, stari debet pro perpetuitate.

CAN. 71.

MATERIA. Determinata acquisitione, usu atque interpretatione privilegiorum, nunc incipiunt canones de eorumdem cessatione. Diversimode quidem cessare possunt, hic canon agit de cessatione per revocationem a competenti auctoritate facta. Et distinguitur prout agatur de privilegiis in Codice contentis, aut de privilegiis extra ipsum vagantibus. Sequentia igitur notare oportet:

1) per legem generalem revocantur privilegia in Codice contenta. Privilegia enim huiusmodi, ut prius vidimus, sunt ad modum legum, et cum inserta sint in corpore iuris communis, non censentur ignota a legislatore. Et proinde, si legem generalem tulerit, vim habet ad normam canonis 22, seu potest expresse aut tacite revocare privilegia, sicut et quaslibet alias generales leges; si in lege id expresse edicatur, aut lex fuerit directe contraria illis in quibus privilegia conceduntur in Codice, quamvis nihil expresse dicatur de anterioribus privilegiis, aut denique si lex totam ex integra ordinet legis prioris materiam. Revocatio tamen de facto non subsequitur nisi ad normam can. 9.

2. Ad cetera privilegia in Codice non contenta servari praecipitur can. 60. In citato canone haec determinantur circa rescripta: "Rescriptum per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata fuerit a Superiore ipsiu rescribentis". Inspiciantur ergo quae ibidem tradita sunt et applicentur, servatis servandis, privilegiis quae extra Codicem vagantur. Si agatur de privilegiis obtentis per communicationem, prae oculis habenda sunt quae tradit can. 65, prout communicatio fuerit in forma ac-

cessoria, aut in forma aequa principali. Pariter si obtentum fuerit privilegium per consuetudinem aut praescriptionem, regulas de consuetudinibus et praescriptione considerare oportet in privilegii revocatione.

CAN. 72.

1. MATERIA. Agitur de cessatione privilegii per renuntiationem, et regulae traduntur sub quatuor paragraphis hoc modo:

2. QUANDONAM CESSAT PRIVILEGIUM PER RENUNTIATIONEM. In paragr. prima statuitur privilegia cessare posse per renuntiationem a competente Superiore acceptatam. Ad hoc ergo ut quaelibet privilegiorum renuntiatio vim habeat, necesse est ut acceptetur a competente Superiore, ab illo nempe qui potest privilegium illud revocare. A momento acceptationis privilegium desinit vim habere; sed ante acceptationem, privilegiatus potest valide renuntiationem suam revocare.

3. Statuta renuntiatione et acceptatione ut modo cessandi privilegia, edicitur quinam possint, quinam e contra vetantur privilegia renuntiare. Privilegio in sui tantum favorem constituto, quaevis persona privata renuntiare potest, edicitur in paragr. secunda; seu ut invenitur in citatis fontibus: "quilibet renuntiare valet ei quod pro se noscitur introductum" (c. 23, X, III, 31). Agitur enim de personis physicis privatis, quae, sicut possunt privilegio in sui tantum favore concesso generatim non uti, ita pariter ipsi renuntiare.

4. DE PRIVILEGIIS CONCESSIS ALICUI COMMUNITATI, DIGNITATI AUT LOCO. Talibus privilegiis privatis personis renuntiare non licet, dicitur in paragr. tertia, seu ut commentantur auctores, non possunt valide renuntiari ab ipsis. Agitur enim de privilegiis datis intuitu boni publici, non boni privati illius vel illorum qui privilegio fruuntur.

Ex variis fontibus citatis, postrema loquitur de poenis contrahendis ab illo qui clericum percusserit etiam clerico consentiente ad reparandam iniuriam alteri illatam, quia clericus non potest renuntiari privilegio

canonis (c. 15, 36, de sententia excommunicationis, V, 39). Expedit aliqua ex secundo fonte exscribere: loquitur Inn. III ad Archiepiscopum Pisanum: "Asserui sti te usque ad haec tempora renuisse, quod licitum sit clerico renuntiare saltem in temporalibus causis iuri suo, et sibi laicum iudicem constituere, praesertim ubi adversarii voluntas accedit: ac temere iuramentum super hoc interposito respondisti; immemor constitutionis qua cavetur pacto privatorum iuri publico minime derogari.... Manifeste patet quod non solum inviti sed etiam voluntarii pacisci non possunt ut saecularia iudicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publice indultum: cui privatorum pacto derogari non potest. Nec iuramentum licite servari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur" (c. 12, X. de foro competenti, II, 2).

5. QUANDONAM IPSA COMMUNITAS SEU COETUS NEQUIT RENUNTIARE PRIVILEGIO. Praeter ea quae sub nº praecedente dicta sunt de non renuntiandis privilegiis a privatis, cum ipsis proprie concessa non fuerunt, explicit canon qui sub paragr. quarta haec habet: "nec ipsi communitati seu coetui integrum est renunciare privilegio sibi dato per modum legis, vel si renunciatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium". Dum ergo non agitur de renunciatione ex parte privatae personae privilegio communitati aut coetui concesso, sed de renuntiatione ex parte ipsius communitatis aut personarum coetus. Non possunt renuntiare privilegio sibi concesso in sequentibus casibus: a) si privilegium ipsis datum fuerit per modum legis. Et planum est: lex abrogari non potest nisi a legislatore vel ab alio debita facultate praedito. Aliqua ad rem traduntur ab Ojetti, p. 302, quae vera non videntur. Ait enim: "Scilicet dupliciter alicui communitati concedi potest privilegium, vel ad modum legis, vel ad modum rescripti. Ad modum legis intelliguntur concessa omnia privilegia contenta in Codice v.gr. privilegium fori, privilegium exemptionis, etc. Ad modum rescripti, cetera omnia, quae scilicet in Codice non continentur.... Privilegiis autem datis ad modum rescripti, communitatem quoque renuntiare posse, quemadmodum

virum privatum, patet...". Sed haec assertio vera non videtur; plura alia privilegia inveniri possunt, per modum legis concessa, quae tamen in Codice non continentur; ex.gr. privilegium vi cuius aliqua religio ius speciale in electionibus habeat. Agitur de privilegio-lege, et absque interventu S. Sedis renuntiari nequit, ut nuper accidit in quodam iure privilegiato in electionibus in Ord. Praed.

b) nec renuntiari potest privilegium si haec renuntiatio cedat in praeiudicium Ecclesiae vel aliorum; quia indirecte saltem ageretur de privilegio illorum qui praeiudicium ex aliena renuntiatione passuri sunt; aliis damnum inferre non debemus.

CAN. 73.

MATERIA. Agitur de cessatione vel minus privilegii resoluto quocumque modo iure concedentis: per mortem, per translationem, etc. Haec statuuntur: "resoluto iure concedentis, privilegia non extinguuntur, nisi data fuerint cum clausula: ad beneplacitum nostrum, vel alia aequipollenti". Privilegium enim, ut dictum fuit in can. 70, censendum est perpetuum, nisi aliud constet; et interdum aliud constare potest ex appositis clausulis.

Circa clausulas huiusmodi, et alia scitu ad rem convenientia, conferantur dicta ad canonem 61.

CAN. 74

MATERIA. Vices et cessatio privilegii personalis per extinctionem personae determinantur sub hoc canone. Quaenam dicantur privilegia personalia iam supra, ubi de divisione privilegii, vidimus.

Fere ad litteram exscribitur Reg. Jur. 7 in VI° sub his verbis concepta: "Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona". Dum canon ait: "Privilegium personale personam sequitur, et cum ipsa extinguitur". Ubicumque ergo fuerit persona, ibidem et privilegium adest, nisi tamen agatur de privilegiis quae extra determinatum territorium vim non habeant. Et si persona extinguatur, ad haeredes minime transit, sed cum eadem persona exstinguitur.

Notandum est quod habet canon 102 de extinctione personae moralis, quae dupliciter fieri potest: per suppressionem a legitima auctoritate inditam aut si per centum annos esse desierit; in hoc postremo casu licet per plures omnes, non tamen centum defecerit, non putatur extincta. Et si unum ex personae moralis collegialis membris permanserit, ius omnium in illum recidit.

CAN. 75.

MATERIA. De cessatione privilegii realis per absolutum rei vel loci interitum. Privilegia realia, de quibus pariter in initio tituli diximus, rebus adhaerent, non personis, et ideo personas non sequuntur, neque cum ipsis pereunt, sed sequuntur rebus et cum iisdem disparent. Quapropter, dum res sybstantialiter permanet, etiam permanent privilegia ipsi adhaerentia. Et notetur quod non sufficit quaelibet rei disruptio ad hoc ut privilegia dispareant; requiritur absolutum rei loci interitum: veluti si altare omnino corruerit, ecclesia funditus evertatur, crux etiam ipsam formam amiserit, et ita porro. Non tantum consideratur interitus materialis, ut in allatis exemplis, sed etiam iuridicus, ut ecce si ecclesia ad usum mere profanum adapta fuerit (cfr. Toso, p. 171).

Inter privilegia realia numerantur quoque privilegia localia, de quibus in eodem canone dicitur: "privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt". Ante Codicem tempus non praefiniebatur intra quod locus deberet restitui; sed tantum dicebatur de spe reaedificationis, quae quidem sufficiebat. Restituitur locus si substantialiter veniat ut prius erat, materialiter et iuridice. Sive privilegia interim tantum suspensa fuerint, ut docent nonnulli, ex.gr.Maroto, p.359; Toso, p. 171, sive cessaverint, ut vult Ojetti, p. 309, parum interest; postrema tamen sententia verior videtur; nam in prima parte canonis dicitur absolute de cessatione si locus evertatur, et postea agitur de reviviscentia. Ex eo quod sermo sit de restitutione intra quinquaginta annos, nonnulli censent quod sufficit si intra praefatum tempus restitutio inceperit, ut puta, si ecclesia aedificari coeperit (cfr. Ermeersch, I. 124; Cappello, p. 157). Revera, quamvis

non sit haec opinio spernenda = sumus enim in favoribus, quibus ampliari convenit = non possumus dicere quod locus restitutus fuerit si aedificatio coeta sit. Etenim, si ad absolutum loci interitum requiritur ut locus substantialiter disparuerit, non bene eiusdem restitutio concipitur, nisi iterum substantialiter appareat, quod non accidit nisi locus moraliter integer restituatur.

Demum, in nota citatur can. 924 statuens: "§. 1 Ad normam can. 75, indulgentiae adnexae alicui ecclesiae non cessant si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificatur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo. = §. 2. Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur".

CAN. 76.

1. MATERIA. De cessatione vel minus privilegiorum per non usum aut per usum contrarium, prout agatur de privilegiis aliis haud onerosis, aut de privilegiis quae in aliorum gravamen cedunt.

2. DE PRIVILEGIIS ALIIS HAUD ONEROSIS. Haec in prima canonis parte statuuntur: "per non usum vel per usum contrarium privilegia aliis haud onerosa non cessant". Ad horum pleniorem intelligentiam recolenda sunt aliqua ex divisione privilegiorum. Privilegium esse potest affirmativum vel negativum, prout conferat facultatem aliquid faciendi, ex.gr. exigendi tributa, litandi ante horam legalem, etc., aut aliquid omittendi, ut non recitandi horas canonicas. Insuper, privilegium est favorabile vel odiosum: primum, ius privilegiato confert absque gravamine alterius, ut privilegium celebrandi hora prima matutina; secundum, ius privilegiato tribuit, sed inde gravamen pro tertio exurgit, ut privilegium sepeliendi in ecclesia aliqua. Nunc autem, tum privilegium positivum tum negativum esse possunt sine gravamine alterius. Et cum nemo tensatur uti iure suo generatim, et in concreto privilegiis, ut sub canone 69 dictum fuit, ex eo quod quis privilegio non utitur, et non utendo utitur pariter iure suo non utendi, non amittit ipeum privilegium. Et cum privilegia positiva conferant facultatem aliquid faciendi, si hoc quod conceditur non fiat, agitur de non usu privilegii. E contra, privilegium negativum consistit seu facultatem dat aliquid omittendi; si non omittatur, habetur usus con-

trarius privilegio et respondet verbis canonis PER USUM CONTRARIUM.

3. DE PRIVILEGIIS ALIIS ONEROSIS. Aliud est dicendum de privilegiis quae ceteris onus imponunt: "quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio". Si enim aliquis privilegio nullo modo utatur, signum est quod ipsi maxime non interest, et consequenter, merito post tempus aufertur ab illo ius quo non indiget, et quod tamen aliis onus imponit; et in hoc casu privilegia aequiparantur servitutibus.

Dupliciter cessare possunt: primo, si accedat legitima praescriptio: quandonam praescriptio dicatur legitima iam supra ad can. 63 vidimus. Quoad tempus hic standum est canonibus 1511-1512; etiam si agatur de persona physica sufficiunt 30 anni (cfr. hic quoque Ojetti, p. 313-314, licet aliud senserit de acquisitione privilegii, prout sub eodem can. 63 diximus). Tamen, ad tempus praescriptionis seu ad praescribendum quod attinet, notari debet quod inveniuntur privilegia quae locum non habent seu quibus non utitur privilegiarius nisi habita occasione, ut privilegio tumulandi in ecclesia; sed adhuc hisce in casibus, si quis ex privilegiariis sepeliatur extra communem sepulchrum et praetersa, nullus actus recognitionis, etc. ponatur, legitime praescribi potest in favorem ecclesiae, quae libertatem recuperat (cfr. Schmalzgrueber, V, 33, 128, qui exemplum adhibet de non amittenda facultate gradus conferendi in aliqua Universitate ob defectum alumnorum).

Cessant denique privilegia aliis onerosa, ante legitimam praescriptionem, per tacitam renuntiationem privilegiarii. Requiritur, ut planum est, ut agatur de privilegiis quibus renuntiari potest. Non sufficit renuntiatio praesumpta, licet in praxi difficile sit eam secernere a tacita. Qui enim privilegio ita non utitur ut appareat de ipso amplius non curare, dicendus est privilegio renunciasse; et in illo cui onus sequebatur ex tali privilegio praesumptio enascitur de tacita renuntiatione ex parte privilegiarii. Practice ex diversis colligi potest haec tacita renuntiatio.

Dispensa 21. F. S. Suarez

CAN. 77

1. MATERIA. Determinatur privilegii cessatio ab intrinseco, seu cum finis modo determinato cessaverit; et expleto tempore aut exhausto numero casuum pro quibus concessum fuerat.

2. DE PRIVILEGIO QUOD EVADIT NOXIUM AUT ILLICITUM. Disponitur in canone circa hoc: "cessat quoque privilegium si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio Superioris immutentur ut noxium evaserit, aut eius usus illicitus fiat". Varia igitur notanda sunt:

a) Aliqua ex illis quae diximus ad can. 21 de cessatione legis ab intrinseco, hic memorari oportet. In hac materia de privilegiis, causa finalis cessare potest negative, aut contrarie. Cessat negative si causa ob quam datum fuit privilegium, disparet quidem, sed nec ex se aut ex circumstantiis privilegium evadit illicitum, nec alicui noxium: in hoc casu privilegium non cessat, quia est beneficium, ut saepe dicitur, expedit beneficium Principis esse mansurum. Non habetur eadem ratio ubi agitur de lege, quia haec onus imponit, et esset onus inutile; non ita privilegium. Puta, Titius obtinet privilegium oratorii privati ob infirmam valetudinem; si postea sanitatem recuperaverit, et in concessione limitatum non fuerit ad tempus infirmitatis, privilegium non cessat, sed perdurat. Cessat causa finalis contrarie, si privilegium iam evaserit illicitum, aut noxium privilegiario vel aliis: si aliis noxium evadit, aequitas postulat ne ex tali privilegio ceteri damnum patiantur. Si privilegiario, locum habet Reg. Reg. Jur. 61: "Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum". Pariter, si fiat eius usus illicitus, nam minime praesumendum est Superiorem illicita concedere voluisse, aut permanentia in rebus seu usibus illicitis.

b) Judicium de illiceitate aut nocumento privilegii, non privatis, sed Superioribus competit, et quidem non quibuslibet sed illis qui privilegium auferre valent, ipsi enim iudicium de mutatis circumstantiis relate ad

privilegium videre debent.

c) Sed ulterius quaeri potest an privilegium cesset eo ipso quod circumstantiae immutatae fuerint et ante iudicium Superioris, quo in casu praefatum iudicium non esset nisi authentica declaratio, seu potius privilegium minime cesset antequam veniat similis Superioris declaratio. Diversa docent auctores. Scribit Ojetti, p. 317: "Verum nota iudicium non requiri ut privilegium cesset, sed ut authentice DECLARETUR privilegium CESSASSE". Et quid si aliis et privilegiario ipso videantur circumstantiae intra praefatos terminos mutatae, et postea Superior putet hoc verum non esse et privilegium adhuc sustineri? Ideoque forsitan melius dicatur privilegium generatim sustineri, saltem in foro externo, antequam declaratio Superioris super venerit.

d) Non abs re hic citari posset quoddam responsum Commissionis, iam aliquantulum explicatum sub can. 13, n. 13, ad hoc ut ostenderetur nullam concordatorum derogationem adesse in casu. Ita erat: "Utrum in collatione canonicatuum, de quibus in can. 404, derogatae sint leges particulares, revocata privilegia, et reprobatae consuetudines, vi quarum iidem canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis in qua sedem habet ecclesia conferri possint, aut isti ceteris praeferri debeant". = Resp.: "Affirmative, salva contraria fundationis lege, et firmo praescripto canonum 3 et 1435 § 3, ita ut etiam in his casibus, si nullus indigena reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam cit. can. 404" (26 Nov. 1922). Praeterea enim quae in citato loco diximus, si de privilegiis antea ita concessis agatur, prae oculis haberi debet quod antea clerici in maiori numero inveniebantur; hodie cum saepe in illis locis deficiunt, non potest selectio inter plures ut antea fieri, et ideo noxium evadit privilegium si detur canonicatus alicui, non omnino quidem indignus, sed minus aptus, etc. Haec, inter alia, habita fuerunt a Commissione prae oculis dum responsum praefatum dedit, et quidem contra vota omnium Consulterum hac de re interrogatorum.

c) Denique opportune exscribi potest citatus fons, liquidem ius vetus, novum illustrare potest; scripsit Alex. III Abbati et fratribus de Dolone: "Suggestum est ex parte vestra, quod Abbas et Fratres monasterii de Ursino decimas a vobis auferre conantur. Discretioni vestrae mandamus, quatenus cum praedicto Abbate et fratribus super ipsis decimis componatis, nam quando R. Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant rarae Abbatiae vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de iure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentatae sunt ac possessionibus ditatae, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam saepe proponunt" (C. 9, X, de decimis, primitiis et oblationibus, III, 30).

3. DE PRIVILEGIO ELAPSO TEMPORE ET EXHAUSTO NUMERO CASUUM. Cessat, denique, privilegium elapso tempore pro quo concessum fuerat, si non erat perpetuum; et insuper, cessat exhausto numero casuum, si ad casus determinatos, seu ad determinatum numerum casuum concessum fuerat. Quibus in casibus nulla specialis difficultas habetur. In suo robore edicitur manere can. 207 § 2, ubi statuitur de cessatione potestatis delegatae: "Sed potestate pro foro interno concessa, actus per invertantiam positus, elapso tempore, vel exhorto casuum numero, validus est"

CAN. 78

MATERIA. Circa privationem privilegii ob eiusdem abusum, statuitur: "Qui abitutus potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctum Sedem monere ne omittat, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur". Haec notari possunt:

a) privilegium non cessat statim ac quis eo abititur meretur tamen qui eo abutitur ut ab ipso auferatur, et auferri potest ab eo qui illud dedit, a Superiore, successore vel ab alio cui data fuerit potestas. Si tamen agatur de privilegio dato a S. Sede, Ordinarius debet ipsam monere, ut provideat.

b) Prout eruitur ex fontibus, abusus triplicitor intelligi potest: per excessum, si quis nempe privilegium extendat ultra limites concessionis; si quis ex privilegio occasionem sumat delinquendi, seu illo utatur ad malius et commodius delinquendum; si quis denique egerit contra finem privilegii. Exempla adhiberi possunt: pro primo casu, si quis obtinet privilegium reducendi stipendia missarum quae ipsi offerentur a fidelibus, ipse tamen ulterius progrediatur, quaerens apposite in hunc finem ab aliis stipendia; in secundo casu, si quis privilegio exemptionis utatur ut iniurias in alios proferat; in tertio, si quis dispensationem obtinuit a choro ut studiis incumbat, ipse autem e contra, venationi vacaverit.

c) Quamvis in canone sermo fiat de abusu potestatis ex privilegio obtentus, hoc intelligendum est lato sensu de quolibet privilegio, ut de cetero suadetur ab ipsa natura cuiuslibet privilegii, eruitur ex fontibus, et docent auctores (Cfr. Toso, p. 174.; Cicognani, n. 310).

CAN. 79.

MATERIA. De vi privilegii oretenus optenti a Sancta Sede, statuitur in hoc postremo canone de privilegiis: "quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat". Unde animadvertatur

a) agitur in canone tantum de privilegiis vivae vocis oraculo obtentis a S. Sede, sed a fortiori haec applicanda sunt etiam privilegiis ab inferioribus concessis, nam ex eo quod scriptura vel testes non requirantur ad validitatem privilegii, sequitur privilegiarium ipso uti posse in foro conscientiae; et etiam in foro externo subiici debet regulis quibus Subiecta voluit propria privilegia S. Sedes.

b) Forum conscientiae, quod esse potest sacramentale aut extra-sacramentale, Deum et privilegiarium respicit, et ideo, si in rerum veritate privilegium obtentum fuerit, quamvis in foro externo probari nequeat eo uti

potest privilegiarius in foro illo in quo probatio non indigetur.

c) Aliud est dicendum de foro externo; in hoc enim bonum publicum postulat ut quae asseruntur probentur, praesertim si agatur de rebus quae in aliorum gravamen cedere possunt. Consequenter in eodem foro externo usus privilegii nemo adversus quemquam vindicare potest, nisi eiusdem privilegii legitimam acquisitionem ac actualem possessionem probaverit. Probationes esse debent non quaelibet, sed **legitimae**: per debitam scripturam, per testes, etc., ad normam eorum quae traduntur in libro IV Codicis, sub titulo X DE PROBATIONIBUS.

d) Usus privilegii hic late accipiendus est; non tantum pro facultate aliquid faciendi, sed etiam pro facultate aliquid omittendi: utroque modo aliquis potest privilegiis uti. Habetur etiam privilegii vindicatio contra aliquem si Ordinarius (aut quilibet legitimus privilegiarii Superior) rationem quarat de modo agendi privilegiarii qui privilegio innititur (sic quoque Cicognani, p. 313).

e) In hoc canone, qui de cetero ius vetus refert, per privilegia a S. Sede oretenus concessa non tantum comprehenduntur quae a R. Pontifice vivae vocis oraculo obtinentur, verum etiam a Dicasteriis Curiae Romanae (cfr. can. 7, Pius X, "Ordo servandus....", 29 sept. 1908, P. II, cap. III, n. 2°). Et non agitur de dispositionibus quas saepe R. Pontifex oretenus communicat Officialibus in audientiis, et quae ab ipsis deinde in scriptis rediguntur, et de quibus ipsi fidem faciunt, sed de concessionibus, declarationibus, provisionibus, decisionibus, etc. (cfr. Pius X, ibid.). Notari oportet quod Cardinales facultate pollent fidem faciendi in foro externo de oraculo Pontificio testantes (can. 239 § 1, 17).

TITULUS VI

DE DISPENSATIONIBUS.

1. DE IPSO TITULO. Explicit liber primus Codicis cum titulo de dispensationibus. Etiam dispensationes ius speciale constituunt, ideoque de ipsis agendum erat in primo libro, ut appareat quis, quando et quomodo dispensare in legibus ecclesiasticis valeat.

2. DISPENSATIONIS NOTIO ATQUE HISTORICA EVOLUTIO. Dispensatio prudentem administrationem innuit. Qui curam alicuius domus gerit nequit pro omnibus aequali modo cibum distribuere; nonnulli enim plus indigent quam ceterii alii communiter, alii e contra nec quod communiter sumitur recipere valent; ideoque bonus administrator a regula generali excipit in casibus peculiaribus infirmos, quos labore videt oneratos, etc.

Optime D. Thomas rationem dispensationis reddit his verbis: "Dispensatio propria importat commensurationem alicuius communis ad singula; unde etiam gubernator familiae dicitur DISPENSATOR, in quantum unicuique de familia cum pondere et mensura distribuit et operationes et necessaria vitae; sic igitur et in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualiter aliquod commune praeceptum sit a singulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquod melius, vel etiam induceretur aliquod malum, sicut ex supra dictis patet (q. 96, a. 6); periculosum autem esset ut hoc [illegible] cuiuslibet committeretur, nisi forte propter [illegible] subitum periculum, ut supra dictum est. Et ideo, si [illegible] habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis, vel in casibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in

dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum communem; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret" (I-II, q. 97, art. 4).

Doctrina et praxis dispensationis in iure romano non una fuit omni tempore; antiquis enim temporibus vera dispensatio non agnoscebatur, nec quidem valde necessaria erat, cum leges essent paucissimae et simplices, simul ac ferreae et veluti indispensabiles, cum putarentur a diis latae. Postea vero, cum leges multiplicari incoeperunt, postquam vitae necessitates pariter multiplices apparuerunt, earumque vetus veneratio decrevit, dispensationes incoeperunt, licet aliis nominibus dessignarentur, ut VENIA AETATIS, pro illis qui munere fungi debebant ante legalem aetatem; pariter dicebantur PRIVILEGIA, etc. Postremis imperii temporibus dispensationum praxis valde crevit; attamen, doctrina clara circa rem in fontibus desideratur.

Nihil ergo mirum si in iure canonico antiquis temporibus eodem modo hodierna claritas hodiernusque dispensationis conceptus de facili non inveniantur; Ecclesia enim iuris romani in multis vestigia sequuta, nonnisi post saecula iuridica instituta quae in primo deficiebant, aut ambiguitate seu obscuritate laborabant, apprime confecit.

Et in primis, cum pariter initio Ecclesiae leges positivae essent paucissimae; cum ex alio capite fideles sub veteribus SS. Patrum et Apostolorum exemplis legum observantiores essent, nec quidem dispensandi necessitas adeo urgebat. Nihil ergo mirum si loco verae dispensationis, seu relaxationis legis in casu particulari primitus inveniantur veluti violatae legis condonationes, seu quae dicebantur POST FACTUM; scilicet, postquam aliquis legem transgressus aliquid adipiscebatur, ipsi permittebatur ut in statu seu conditione adepta permaneret.

Prioribus Ecclesiae saeculis nec dispensationis nomen propria adhibebatur, sed alia potius nomina, ut beneficium indulgentia, liberatio, venia, in integrum restitutio, et ita porro.

Quandonam verae dispensationes in Ecclesia incoeperint auctores non concordant; alii tenent quod verae

dispensationes, seu legum in casu particulari et modo antecedente relaxationes non inceperint nisi saeculo XI, Alii vero primum dispensationis exemplum inveniunt in dispensatione residentiae quam Hadrianus I contulit anno 794 Episcopis Metensi et Coloniensi, ut apud Carolum Magnum remanere possent. Alii denique iam saeculo IV veras inveniunt dispensationes. Cetum quidem videtur saeculo IV iam veras dispensationes exstitisse, seu AD FACIENDUM, et non tantum veniam POST FACTUM. Id eruitur ex praxi, ut ecce in nonnullis casibus neophytus episcopalem consecrationem ex dispensatione recipiebat; et ex modo loquendo nonnullorum SS. Patrum.

Certe quidem doctrina de dispensationibus pressius elaborata fuit a Decretistis et Decretalistis saec. XII et XIII. Quamvis doceretur distinctionem inter dispensationes POST FACTUM, et ad faciendum primum inductam fuisse ab Ivone Carnutensi, Brys docet potius fuisse Rufinum ("De dispensatione in iure canonico, praesertim apud Decretistas et Decretalistas usque ad medium saeculum decimum quartum", p. 3, 1, 2, § 1). Ita Rufinus: "Item notandum est quod dispensatio admittitur aliquando in factis, aliquando in faciendis. In factis: ut iste filius sacerdotis iam factus sacerdos non deponatur; in faciendis: ut hic filius sacerdotis fiat sacerdos, faciliori necessitate vel utilitate facta ex dispensatione tolerentur, quam facienda fieri permittuntur; nam facilius filius sacerdotis per ignorantiam ordinatus in ordine remanebit, quam non ordinatus ordinari sinetur. Et sic de reliquis". (Glossa ad Decret. Gratiani c. 6, C. I, q. 7, p. 235, circa med. saec. XII).

Ultimis denique temporibus plura adhuc circa dispensationem disputabantur, licet continuo notio clarius determinaretur.

Ex Codice vero dispensationis conceptum ita tradere licet: Relaxatio legis in casu speciali ex iusta causa a competente e Superiore ecclesiastico facta.

3) DISPENSATIONIS DIVISIO - Dispensatio dividitur in:

a) EXPRESSAM et TACITAM, prout directe et expresse concedatur, aut in alio sit contenta; concessa ex.gr. a S. Sede dispensatione super matrimonio rato

et non consummato, secumfert dispensationem ab impedimento ab adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii, si opus fuerit (c. 1053);

b) TOTALEM et PARTIALEM, prout a tota lege eximat vel tantum ex parte;

c) NECESSARIAM et LIBERAM, prout ob gravem causam denegari non debeat, aut omnino a libera voluntate Superioris concessio pendeat;

d) UNICAM et MULTIPLICEM, prout agatur de dispensatione quae unico actu completur, ita ut amplius lex non urgeat, ut dispensatio ab irregularitate; aut de dispensatione quae tractum habeat successivum, ut dispensatio a ieiunio servando ob infirmam valetudinem: recuperata sanitate iterum lex urget;

e) PERSONALEM, LOCALEM et MIXTAM, prout determinatis personis concedatur, aut alicuius loci intuitu, aut omnibus qui inveniantur in hoc loco, et insuper incolis ubique se conferunt;

f) AD TEMPUS, in PERPETUUM.

g) VALIDAM, INVALIDAM, LICITAM, ILLICITAM, etc.

4. DIFFERENTIA INTER DISPENSATIONEM ET ALIA SIMILIA INSTITUTA. Differt dispensatio a sequentibus:

a) A PRIVILEGIO, quia hoc generatim est permanens ac perpetuum, et praeterea ius positive constituit dum dispensatio est quid transiens et negativum, attamen si dispensatio characteres privilegii contra ius induat, potius privilegium quam simplicem dispensationem audit;

b) A LICENTIA, quae est facultas facta secundum legem; lex quidem non relaxatur, et tantum datur facultas peragendi quod lex permittit quidem, sed non absolute, sed supposita Superioris venia. Hinc est quod haec Superioris venia legitime praesumi potest nonnullis in adiunctis, seu datur licentia praesumpta, non vero dispensatio praesumpta.

c) A DISSIMULATIONE, in qua Superior nihil positive concedit, sed ita procedit ac si legis transgressionem ignoret, ad maior, saepe mala vitanda.

d) AB IRRITATIONE, quae nonnisi mediate legem ipsam attingit;

e) AB EXCUSATIONE, ex mente enim legis conditoris lex in nonnullis casibus obligare non censetur; vir

ergo peritus edicere potest quandonam adsint causae ut putetur legislator legem imponere non intendisse, seu quando hic fidelis a lege observanda excusetur:

f) AB EPIKEIA, quae est interpretatio mentis legislatoris, vi cuius censetur hic et nunc legis observantiam non urgere.

5. ORDO CANONUM. In can. 80 traditur imprimis dispensationis notio, et dicitur in genere quinam a lege dispensare possint. In can. 81 dicitur quando a generalibus Ecclesiae legibus dispensare valeant Ordinarii Infra Romanum Pontificem. Locorum Ordinarii relate ad leges dioecesanas, Concilii provincialis, et Pontificias pro illo peculiari territorio (can. 82); de parochis relate ad legum dispensationem (can. 83); de causa dispensationis (can. 84); de interpretatione dispensationis (can. 85); et demum de ipsius dispensationis, quae tractum habet successivum, cessatione. (can. 86).

CAN. 80.

1. MATERIA. Datur dispensationis notio, et postea principium generale statuitur de potestate dispensandi deque illis qui ea pollent.

2. DISPENSATIONIS NOTIO. Ex canone dispensatio est LEGIS IN CASU SPECIALI RELAXATIO. De antiqua praxi et theoria ad rem, iam supra diximus. Dicitur legis relaxatio, quia lex est vinculum quoddam, et per relaxationem seu dispensationem, vinculum illud morale solvitur, ita ut relate ad illum qui dispensatur vinculum non existat. Dicitur in casu speciali; per dispensationem lex non aufertur, sed ipsa manet ut prius, sed tantum dispensati ab eiusdem vinculo solvuntur. Casus specialis potest esse quia aliqua persona in concreto dispensatur, manente lefe pro aliis; aut etiam quia omnes subditi ad tempus propter specialem causam ab eiusdem legis observantia dispensantur.

3. DISPENSATIONIS AUCTOR. Ex canone, dispensatio concedi potest a conditore legis, ab eius successore

...i Superiore, necnon ab illo qui ... facultatem dispensandi concesserint. Circa quae notantur:

a) lex positiva, cum sit ordinatio rationis, seu vinculum quod ex praescripto legislatoris tollit, plenum est quod potest ab eodem legislatore auferri; et a fortiori potest legislator quod minus est, videlicet, aliquem subditum ad obligationem legis sui actus ... inde dispensare proprie est actus potestatis legislationalis, quia potestatis pariter iurisdictionalis est legem condere, ipsius ergo etiam est propriam legem auferre, aut ex toto, aut hoc modo, quod quidam ipsa non teneantur.

b) potest pariter in legibus dispensare legislatoris successor, quia legislator legem non contulit quatenus est talis persona in concreto, ex. gr. Titius, sed praecise quatenus munus determinatum gerit; quod quidem eodem modo geritur a successore, qui eadem potestate fruitur; nam, ut refert Reg. Jur. 46 in VI° "is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debeat". Haec potestatem coarctatam ex lege sui praedecessoris recipit, cum par in parem non habeat imperium;

c) insuper lex potest dispensari a Superiore illius qui legem tulit, aut qui in munere successit. Ut patio est quia Superior habet sub se inferiorem legislatorem et materiam ab ipso ordinatam; et sicut potest de materia illa ab inferiore ordinata dispensare potest ita eam quidem dispensare ut ab obligatione observandi quod lex inferior statuerat dispenset. Patet ergo hic quilibet Superiori relate ad legislatorem non intelligi, sed Superior qui revera sit absolute et quoad omnia, aut saltem in concreto relate ad illam materiam. Unde Metropolita ex. gr., quamvis Superior sit relate ad Episcopum Suffraganeum, minime in ipsius leges ut in propriis dispensare valet;

d) denique, legem relaxare seu dispensare potest ille qui a praedictis, nempe, legis conditore, successore aut Superiore facultatem accipiunt, nam "potest quis per alium, quod potest facere per seipsum" (Reg. Jur. 68, in VI°);

e) circa naturam potestatis dispensandi in praecedentibus canonas, auctores non conveniunt, nam li-

est communiter docent legis conditorem, successorem et Superiorem dispensare auctoritate sui iuris PROPRIO, illum autem cui a praefatis datur potestas, iure DELEGATO, sub postremo verbo nonnulli inveniunt potestatem ordinariam, et delegatam; alii, e contra, tantum potestatem delegatam, SIVE A RE, SIVE OB HOMINEM. Nobis placet postrema sententia quae exponit Ojetti his verbis: "Potestas, qua dispensare [illegible], quibus facultatem dispensandi concesserit legislator, ex canone 197 dicenda omnino videtur DELEGATA, quae committi potest a iure vel ab homine personae sive physicae sive morali, non vero ORDINARIA, quae annectitur seu cohaeret officio. Canon siquidem praesens loquitur de CONCESSIONE seu COMMISSIONE facultatis dispensandi. CONCEDERE aut COMMITTERE personae sive physicae sive etiam morali, non est idem ac ANNECTERE, COHAERERE sive ipsi personae, sive eius officio aut dignitati". (Com., p. 328, nota - 10 -)

4. DE SUBIECTO PASSIVO DISPENSATIONIS. Cum dispensatio sit actus iurisdictionis, et iurisdictio exerceri nequeat nisi in proprios subditos, dispensatio pariter concedi nequit nisi illis qui aliquo saltem modo subditi sunt dispensantis. Aliquo, inquam, saltem modo, cum licet nonnulli non sint vere subditi, quia ex.gr. non habent domicilium nec quasi-domicilium in loco, nec sunt vagi qui actu ibidem inveniantur, sed tantum sint peregrinando ad normam iuris pro ipsis lex relaxari potest.

Ipsemet qui in lege alios dispensat potestne erga sum dispensare? Distinguendum est. Qui legem tulit, [illegible] sum directa non ligavit, sed tantum de honestate [illegible] scandalum detur legat observare debet, ideoque [illegible] tiens ipsi legi intrinseca; consequenter si legem [illegible] vare nolit non propterea dicendus est seipsum a lege dispensare; si vinculum non aderat, nec quidem solvitur. Eodem modo dicendum est de successore, quia nec a praedecessoris legibus ligatur cum par in parem non habeat imperium, ut supra monuimus, a fortiori ergo dicendum est de Superiore.

Sed si agatur de illo qui dispensat ex potestate sibi facta, non quidem ut Titium ad Caium dispenset.

sed omnibus indiscriminatim, etiam seipsum dispensare potest, nam, nisi aliud constet, potestas iurisdictionis voluntaria seu non iudicialis, exerceri potest etiam in proprium commodum (c. 201 § 2)/

CAN. 81.

1. MATERIA. = Afitur de casibus in quibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare possunt in legibus Ecclesiae generalibus.

2. DE ROMANO PONTIFICE RELATE AD LEGES ECCLESIAE GENERALES. Romanus Pontifex potest quidem omnes leges mere ecclesiasticas abrogare, derogare, atqve in iisdem dispensare, sive ab inferioribus latae fuerint, sive a se, sive a praedecessoribus, sive a Concilio Oecumenico, quia hoc etiam ab eodem R. Pontifice robur accipit ac vim: suprema est enim eius potestas in Ecclesia, sive ad ligandum, sive ad solvendum. Et in omnibus praefatis legibus dispensat R. Pontifex auctoritate propria.

3. DE ROMANO PONTIFICE RELATE AD IUS DIVINUM. Jus divinum naturale innuit ex se quid immutabile, permanens, consequenter indispensabile quoad praecepta primaria; mutabile seu dispensabile interdum quoad secundaria, propter aliud ius nobilius quod intercedere potest, ut affert D. Thomas de non reddendis armis in deposito habitis inimico patriae damnum illaturo.

Quando autem agitur de iure divino positivo, ipsemet Deus, ut planum est proprie et directe dispensare valet, sicut quilibet legislator in propriis legibus, et quisquis ab eo receperit potestatem. Nullibi constat Deum alicui potestatem contulisse indiscriminatim in positivis legibus divinis dispensandi.

At ius aliquod divinum invenitur quod hypotheticum dicitur, quia eius existentia pendet ab aliquo facto humano. Tunc enim R. Pontifex dicitur in iure divino potestate VICARIA dispensare; licet propria dispensatio non adsit, quia revera R. Pontifex legem non relaxat, sed eius actus in vinculum humanum fertur, quod relaxat;

et vinculo humano relaxato, iam sub lege divina non cadit, et proinde non amplius urget ubi prius urgebat. Audiatur D. Thomas (II-II, q. 89, a. 10, ad 2): "Sicut ex iure naturali et praecepto divino tenetur homo implere totum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire superiorum legi vel mandato. Ut tum, cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit ut legi humanae non obediatur, quod est contra legem naturae et mandatum divinum, sed fit, ut hoc quod erat lex, non sit lex in hoc casu. Ita etiam auctoritate superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti. Ut ideo cum Praelatus Ecclesiae dispensat in voto, non dispensat in praecepto iuris naturalis vel divini, sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanae, quae non potuit omnia circumspicere".

4. DE ORDINARIIS INFRA R. PONTIFICEM RELATE AD GENERALES ECCLESIAE LEGES. Nullus Ordinarius, sive loci sive religiosus dispensare potest in legibus generalibus Ecclesiae, ne quidem in casu peculiari, sive relate ad determinatam personam, sive relate ad has in concreto necessitates. Ut ratio est quia inferior in legibus sui Superioris dispensare nequit. Proinde in legibus ecclesiasticis generalibus tantum potest dispensare supremus Ecclesiae administrator, hoc est R. Pontifex.

Attamen, nonnullis in casibus Codex facultatem dispensandi confert Ordinariis in praefatis legibus; quando imprimis haec dispensandi potestas ipsis explicite vel implicite concessa fuerit; et insuper quando siffi cilis est recursus ad S. Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et agatur de dispensatione quae ab eadem S. Sedem concedi solet, circa haec notanda sunt.

a) prioribus saeculis Episcoporum potestas relate ad dispensationem legum generalium apprime definita non erat. Imprimis enim leges positivae fere omnes erant episcopales, ac proinde ab Episcopis dispensabiles. Praeterea, saevientibus persecutionibus, si casus dispensandi inveniebatur in aliqua lege recepta in tota Ecclesia, de facile adiri non poterat R. Pontifex, et ideo tacite in Episcopis dispensandi facultas agnoscebatur. Postea vero iam hoc consiliis provincialibus reservatum est;

ad demum, a saeculo IV, cum nempe fideles et pastores cum Supremo sapite libere communicare coeperint, de iure et de facto dispensandi potestas in legibus generalibus devolvitur ad R. Pontificem. Non defuerunt deinceps saeculorum qui Episcopis hanc potestatem vindicaverint, ut Synodi Pistoiensis auctores; sed hodie pacificum est inter catholicos Episcopum nec quemlibet alium Ordinarium in legibus generalibus dispensare non posse. Ante Codicem auctores loquebantur de nonnullis casibus in quibus Ordinarii, ex usu recepto, aut ex sententia communiori, dispensare posse dicebantur, ut in rebus levioris momenti. Tamen Codex nihil ipsis tribuit, nisi in casibus iam memoratis.

Potestas dispensandi Ordinariis conceditur explicite aut implicite, tam ab ipso iure seu Codice, quam ab homine. Explicite quidem, verbis, factis aut signis aequipollentibus; IMPLICITE vero cum datur facultas seu potestas quae aliud secumferre necesse est; uti in facultate conferendi plura beneficia residentialia eodem clerico, implicite intelligitur facultas dispensandi in residentia saltem unius.

In eodem Codice, ad calcem huius canonis alii citantur, in quibus potestas dispensandi Ordinariis conceditur, videlicet:

can. 452 § 3, 3°, de dispensando clerico ab examine ad consequendam aliquam paroeciam;

can. 900, de irregularitatum dispensatione;

can. 1028, de dispensatione in publicationibus ante matrimonium peragendis;

can. 1040, 1043, et 1045 § 1-2, de dispensatione impedimentorum matrimonium, et aliquando, in forma;

can. 1245, de dispensatione a diebus festis, ieiunio et abstinentia servandis. Praeterea memorarii possunt alii canones, ut can. 978 de interstitiis; 1313 de votis; 1320 de iuram; 2237, de poenarum remissione.

Pariter, ut constat ex can. 15, in dubio facti, et dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet, iidem Ordinarii dispensandi pollent facultate;

b) denique, dispensandi potestate gaudent in casibus urgentioribus, seu cum simul conditiones sequentes adsunt:

1° difficultas recursus ad S. Sedem. Notari debet quod non tenentur ad S. Sedem recurrere medio EXTRAORDINARIO, ex.gr. per telegraphum aut telephonum, sed licet haec habeantur S. Sedes censetur adiri non posse (Cfr. Secr. Status, 10 Dec. 1891, S. Officium, 14 Aug. 1892; Com. Pont. 1922):

2° periculum gravis damni sit in mora: non quidem requiritur periculum certum, sed sufficit si merito timeatur; ut ecce si quis matrimonium initurus nuntium accipiat de necessitate cito adeundi regionem longinquam ubi bona possidet, nec matrimonium cui impedimentum dirimens obstat differri expediat;

3° ut agatur de dispensatione quae a S. Sedi concedi solet, quia si S. Sedes per seipsam dispensationem in similibus non concedat, merito aliis haec potestas non confertur, ut ecce si agatur de impedimento matrimoniali quod provenit ex sacro presbyteratus ordine;

c) saepe demum locorum Ordinarii quinquennales facultates obtinent a S. Sede, in quibus dispensandi facultas multipliciter ipsis confertur; et non semel, modo simili, religiosorum Ordinarii relate ad propriae religionis alumnos.

CAN. 82

1. MATERIA. Statuitur an et quomodo locorum Ordinarii dispensare valeant in legibus dioecesanis, in legibus Concilii provincialis, et in legibus quas R. Pontifex pro illo peculiari territorio tulerit.

2. LOCORUM ORDINARII RELATE AD LEGES DIOECESANAS. In can. 80 dictum fuit legem dispensari posse ab eiusdem conditore; sive ergo agatur de lege a solo Episcopo lata, sive lata in synodo dioecesana in qua quidem pariter unicus legislator est Episcopus ceteri omnes votum tantum consultivum habent (c. 362), dispensari potest lex ab illo qui eam tulit: per quascumque enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.

Licet tamen agatur de Vic. Generali, qui legiferam potestatem non habet, in legibus dioecesanis dispensare potest, ex facultate quam ipsi ex hoc canone confer

tur, nisi tamen idem Episcopus aliquam suae legis dispensationem expresse sibi reservaverit.

3. LOCORUM ORDINARII RELATE AD LEGES CONCILII PROVINCIALIS. In Conciliis Provincialibus, legislator est collectivus: sunt enim, praeter Metropolitam, Episcopi Suffraganei et alii de quibus in can. 286. Nunc autem, quilibet illius provinciae Ordinarius loci, est inferior relate ad Concilium = legislatorem, ideoque, ex se nihil posset in huius leges.

Sed cum bonum regimen dioecesis interdum aliud postulare dignoscatur, Codex statuit ut locorum Ordinarii in praefatas leges dispensare possint, sed tantum quidem in casibus particularibus, nempe, cum aliqua persona vel cum omnibus aliqua die, et insuper iusta interveniente causa. (c. 291, § 2). Alias, debent ad Superiorem recurrere.

4. ORDINARII LOCORUM RELATE AD LEGES PONTIFICIAS SUI PECULIARIS TERRITORII. Si R. Pontifex aliquam legem tulerit pro aliquo territorio in concreto, illius territorii Ordinarius nequit in eodem dispensare ac si ageretur de legibus dioecesanis, sed tantum ad normam can. 81, seu in circumstantiis in quibus dispensare potest in generalibus Ecclesiae legibus. Agitur enim de lege Superioris in quam nulla auctoritate pollet inferior, nisi intra terminos sibi ab eodem Superiore praestitos.

CAN. 83.

MATERIA. Agitur de potestate parochi relate ad legum dispensationem. Ipsis nulla facultas generalis dispensandi agnoscitur, neque in legibus generalibus, neque particularibus; nisi aliquibus in casibus expresse ipsis concedatur. Expresse ipsis conceditur ex.gr. in canonibus 1044-5 relate ad impedimenta matrimonialia, nonnullis in adiunctis. Ipsi enim leges non conficiunt, ideoque ex sua potestate Superiorum leges relaxare non valent. Et ex alio capite legislator censet bonum publicum non exigere ut ipsis generatim dispensandi facultas committatur, sed tantum in nonnullis

casibus in quibus necessitas seu convenientia aliud suadeat.

Sunt etiam alii qui quandoque et quoad aliqua dispensare possunt, ut passim invenitur in Codice, ut Superiores religiosi, confessarii, sacerdotes.

CAN. 84.

1. MATERIA. Statuto dispensationis auctore, nunc de dispensationis causa agitur, et normae circa causam ad dispensandum dantur, prout agatur de legislatore, Superiore, aut de illo cui haec potestas commissa fuit. Et denique, quid faciendum si dubium habeatur de sufficientia causae.

2. DE IUSTA DISPENSATIONIS CAUSA. Tridentinum Concilium haec habet: "Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi necessitate satisfiat, sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciantt universi sacratissimos canones exacte ob omnibus, et quoad eius fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens iustaque ratio, et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur" (Sess. XXV, de Ref., c. 18)

Ita nunc pariter Codex causam exigit ad dispensandum: statuit enim ne dispensetur, nisi iusta et rationabili de causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur: "alias dispensatio ab inferiore facta illicita et invalida est".

Ratio ob quam causa requiratur in genere ad dispensandum a lege, est quia haec subditos ordinat in finem, seu ad commune bonum consequendum; et ad hoc ut quis regulam quae in bonum commune, et quidem tali modo, seu ad finem a legislatore hoc modo praestitum non tendat, aliqua causa necessaria est; et quidem proportionata,

attenta lege a qua dispensare intenditur.

Verum quidem est legislatorem posse legem auferre pro omnibus, aut pro aliquo ipsam relaxare; at minime pro lubitu; sed sicut causas habuit ad legem condendam, his perdurantibus, lex putatur iusta, et expedit ut eo modo subditi regulentur. Si ergo agatur de dispensatione illius legis, et fiat absque causa, valide procedit legislator in dispensando, cum quidem lex ipsa sive in totum sive ex parte ab ipso dependeat; non autem licite, quia rationes ad legem servandam, modo dicto, urgent. Hinc est quod, ut in initio huius tituli vidimus ex S. Thoma, si legislator absque causis dispenset, non est fidelis in dispensando seu administrando, bono communi prae oculis non habito. Quae dicuntur de legislatore, dicta valent de successore aut Superiore: omnes iusta causa indigent ad licite dispensationem impartiendam.

Aliud est dicendum de dispensatione quam imperiri valent nonnulli ex potestate sibi facta, vel a iure vel ab homine: si causae iustae ac proportionatae deficiant, dispensatio nec licite nec valide conceditur. Qui enim ex potestate sibi facta dispensat, est veluti mandatarius, et mandatarius qui ultra fines mandati agit, nihil agit, cum in casu mandatum revera non existat; semper enim legislator censetur dispensandi facultatem concedere iustis intervenientibus causis.

CIRCA NATURAM CAUSARUM notandum est quod non requiruntur causae omnino graviores, sed sufficiunt si habeantur iustae et rationabiles, et nec quidem absolute sed attenta legis a qua dispensandum est gravitate: quae quidem dignoscitur ex materia a lege ordinata, ex mente legislatoris simul et praxi, quia ipse legem maxime facit, etc. Si enim adeo gravissimae sunt causae, ex.gr., ad dispensandum infirmum a ieiunio, iam non requiritur dispensatio, sed ex se lex non urget.

Caute insuper notandum est de qua lege agatur: an nempe de lege quae impedit consequutionem maioris boni in casu, vel de lege ex cuius observantia positive damnum imminet; in secundo casu facilius lex dispensari potest quam in primo, nam ex eo quod bonum aliquod non consequatur, nihil individuo aufertur; utique si malum passurus sit. Et ita, ex eo quod clericus qui ve

tatur negotiationem et mercaturam exercere, et possit nunc ex determinata negotiatione ingens lucrum reportare, si non reportaverit, nullum ipsi positivum damnum; utique, si agatur ex.gr. de infirmo, qui si legem abstinentiae servaverit merito timetur ne sanitas in dies amittatur.

Causae relatae ad dispensationem, prout iam dictum manet sub titulo de rescriptis, aliae dicuntur MOTIVAE seu FINALES, aliae vero IMPULSIVAE; primae revera movent dispensantem ad dispensandum, et ex se sufficiunt; secundae impellunt, adiuvant, animum inclinant, sed non putantur ex se sufficientes ad hoc ut revera adeo animus moveatur ut dispensatio detur. Quaenam causae sint motivae ex stylo Curiae constare solet, et constat praesertim ubi agitur de dispensatione impedimentorum matrimonialium.

Causae praeterea aut sunt INTERIORES, aut EXTERIORES. Causae interiores innuunt difficultatem aut incommodum in legis observationem; exteriores vero, ut dignitas personae cui dispensatur, quae in Ecclesiae bonum adlaboravit aut auxilium praebere potest; convenientia ostendendi magnanimitatem in dispensante; bonum publicum quod reportatur ex laetitia in magna festivitate, quod quidem a ieiunio dispensationem concedendam suadet, et ita porro.

3. QUID IN DUBIO DE SUFFICIENTIA CAUSAE. Ad anxietates praecavendas atque quoad fieri possit auferendas, edicitur in dubio de sufficientia causae dispensationem licite peti posse, et licite ac valide concedi.

Qui enim absque causa dispensationem petit, illicite agit, cum Superiorem exponat periculo illicite, aut etiam invalide, iuxta casus, agendi; praeterea, absque causa nemo debet a communi norma pro societate statuta recedere. Si tamen quis dubitaverit, dubio quidem positivo, de sufficientia causae, iam facultas datur in dubio de sufficientia causae, non autem in dubio de existentia causae.

Eodem modo datur concedendi dispensationem facultas in dubio superiori dispensanti, qui proinde valide et licite procedit.

Ex hoc canone minime limitatur quod in can. 15 statutum est de legibus, quae quidem in dubio iuris non

urgent, et in dubio facti dispensari possunt ab Ordinariis, servatis servandis.

Si ergo ad dispensandum requiritur iusta causa, planum est quod causa dignosci debet a dispensante, ut supra ex Concilio Tridentino vidimus. Si tamen quis dispensavit ex potestate sibi facta in aliqua lege putans causam adesse, et de facto non aderat, nihil egit, quia non suae opinioni, sed rerum veritati stari oportet, salvis iam dictis de dubio facti.

CAN. 85

MATERIA. Modus interpretandi dispensationem statuitur: strictae subest interpretationi ipsa dispensatio ad normam can. 50, verum et dispensandi facultas ad certum casum concessa. In horum expositionem notetur.

a) si dubia non occurrant neque circa ipsam dispensationem, neque circa dispensandi facultatem, omnibus intellectis iuxta propriam verborum significationem et communem loquendi usum, dari et uti tantum debet quo fuerit concessum;

b) in dubio, haec habentur: numquam licet interpretatione extensiva uti, quia venit extra terminos concessionis; nec quidem restrictiva interpretatio urget cum nullo ex capite obligatio existat excludendi aliquem vel aliquid a Superiore concessum. Consequenter, adhiberi potest aut interpretatio stricta, aut interpretatio lata, iuxta diversos casus;

c) quoad ipsam dispensationem, cum ex una parte sit vulnus legis expedit ut strictae interpretationi subiaceat; cum ex alia ipsum bonum publicum non semel postulare videatur dispensationem, expedit ut bonum publicum maxime attendatur, ideoque in dubio late interpretetur. Hinc strictae interpretationi subest dispensatio quae invenitur intra terminos sub canone 50, ubi de rescriptis, recensitos, 1) dispensationes quae ad lites referuntur; 2) dispensationes quae iura aliis legitime iam quaesita laedunt; 3) dispensationes quae adversantur legi communi in commodum privatorum; 4) denique, dispensationes quae obtinentur ad beneficii ecclesiastici assecutionem. Conferri potest commentarium ad can. 50, ubi exponitur cur in his casibus

stricta expediat interpretatione uti, et quomodo iidem casus intelligi debeant.

Aliis in casibus, in dubio, latam interpretationem adhibere licet, ex.gr. in dispensatione quae datur non in commodum privatorum, sed intuitu boni publici, ut militibus qui tuentur patriam.

d) Quoad ipsam dispensandi facultatem, distinguendum est: vel agitur de facultatibus habitualibus, quae accessentur privilegiis praeter ius (can. 66), et tunc latam in dubio recipiunt interpretationem. Vel agitur de facultate dispensandi ad certum casum concessa, v. gr. ut Titio dispensetur a lege residentiae, et tunc ipsamet dispensandi facultas strictae subest interpretationi, si quodlibet dubium suboriatur. Ratio est quia in hoc casu agitur tantum de bono privato, secus ac in facultatibus habitualibus et in generalibus dispensandi potestatibus, quae quidem intuitu boni publici dantur.

Numquam tamen ea interpretatio in facultate dispensandi et in ipsis dispensationibus adhibenda est, quae unice incommodum aut nihil obtentum innuere intendat. Patet ex ipsa dispensandi facultate et ex dispensationis natura ac fine.

CAN. 86.

MATERIA. Sermo, denique fit de dispensatione quae tractum habet successivum: cessare dicitur iisdem modis ac privilegium, necnon certa ac totali cessatione causae motivae. Circa dispensationis cessationem animadverti potest:

1) vel agitur de dispensatione improprie dicta, in qua nempe potius vinculum humanum solvitur, ut in votis: dispensatio semel atque absolute obtenta, votum numquam reviviscit, quidquid nonnulli dicant de reviviscentia per renuntiationem; non revivisset, sed aliud novum votum emittitur ab illo qui iterum ligari cupit;

2) vel agitur de dispensatione quae unico nostro actu consumitur: dispensatio ab irregularitate, ab impedimento matrimoniali. Pariter si modo absoluto concessa fuerit, eadem irregularitas, idem impedimentum dispensatum amplius non reviviscunt, quia consumpta iam omnino fuerunt;

3) aut agitur de dispensatione quae habet tractum successivum, ex.gr. dispensatio a ieiunio quadragesima-

li ratione infirmae valetudinis impertita: tunc cessat iisdem modis ac privilegium, necnon certa et totali causae motivae cessatione. Ratio est quia dispensatio in casu virtualiter est multiplex, seu intelligitur concessa singulis diebus, singulis vicibus in quibus lex dispensata urget. Cessat ut privilegium, quia aut est privilegium contra ius, aut privilegio accesserunt; videlicet,

a) per revocationem dispensantis, successoris aut Superioris; qui si iusta adsit causa licite, sin minus illicite, semper tamen valide agunt in revocatione dum modo tamen agatur de illis qui dispensant in propriis legibus, praedecessoris aut inferioris, aut ex generali potestate sibi facta; invalide absque iusta causa revocat qui dispensavit ex potestate sibi facta ad casum, quia, dispensatione concessa, munere suo functus est. cessat pariter dispensatio morte dispensantis aut alio modo a munere remotus, si clausula ad beneplacitum nostrum vel aequipollens adhibita fuerit:

b) cessat per renuntiationem legitimo acceptatam; quia si non acceptetur, licet quis possit dispensatione non uti, nunquam tamen dispensatio cessat, seu lex non reviviscit, quia privatorum voluntas non est factiva legis;

c) dispensatio aliis onerosa cessat per non usum aut per usum contrarium si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio. Sunt nonnulli qui censeant dispensationem per non usum aut per usum contrarium numquam cessare, cum dispensati voluntas nequeat in vigorem legem revocare. Attamen, Codex aliud docet, dum statuit cessare ut privilegia; et tunc quidem non voluntas privatorum legem in vigorem revocat sed ipsum ius.

4) denique cessat dispensatio quae habet tractum successivum per certam et totalem cessationem causae motivae. Et ratio est, quia si ad dispensandum causa requiritur quae dispensantem moveat, quando amplius non existit non potest eum amplius movere, nec quidem virtualiter, seu in illa dispensatione quae virtualiter semper ac causa adsit et lex urgeret. Proinde, dispensatus a ieiunio quadragesimali ratione infirmae valetudinis, recuperata sanitate, iterum ieiunare debet;

Attamen, requiritur ut causae cessatio sit certa, quia in dubio possessor disturbari non debet. Et denique, ut totaliter cessaverit, quia si ex parte adsit, ipsamet pars causa sufficiens est, si non quidem ad similem dispensationem impetrandam, saltem ad prosequendum in dispensationis pacificam possessionem.

I N D E X

pag.

Monitum / 2

LIBER PRIMUS - Normae generales

Praenotanda 3

Canon 1.: de subiecto passivo Codicis 3

de Ecclesia et iure Orient. 4

Canon 2.: Codex relate ad ius liturgicum 10

Canon 3.: Codex relate ad ius concordatarium. 11

De natura concordatorum . . . 12

Canon 4.: Codex relate ad ius quaesitum, ad privilegia atque indulta a S. Sede concessa, in usu et non revocata tempore quo Codex vigere coepit. 21

De natura iuris quaesiti 21

Canon 5.: Codex relate ad consutudines ante ipsum vigentes. 27

Canon 6.: Codex relate ad vetus ius scriptum. 36

Canon 7.: Quid veniat nomine S. Sedis vel Sedis Apostolicae 41

TITULUS I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

pag.

Praenotanda. 42

Can. 8.: De legum ecclesiasticarum institutione: lex praesumitur territorialis 42

Can. 9.: De promulgatione et vacatione legum S. Sedis. 44

Can.10.: De irretroactivitate legum 45

Can.11.: Quaenam leges irritantes aut inhabilitantes 47

Can. 12: Quinam teneantur legibus mere ecclesiasticis 48

Can. 13: Quinam teneantur legibus generalibus, quinam, legibus conditis pro peculiari territorio. 49

Can. 14: Peregrini et vagi relate ad legem. . . 50

Can. 15: De obligatione legum in dubio iuris vel facti. 52

Can. 16: De ignorantia vel errore relate ad excusationem. 53

Can. 17: Quinam valeant legem authentice interpretari, et de vi authenticae interpretationis. 55

Can. 18: De modo intelligendi leges ecclesiasticas, et de mediis ad quae recurrendum est in dubio. 57

Can. 19: De legibus quae strictae interpretationi subsunt. 58

Pag.

Can. 20: De lacunis iuridicis implendis 60

Can. 21: De legibus latis ad praecavendum periculum generale 64

Can. 22: An et quando lex posterior abroget priori, et de lege generali relate ad statuta specialia 66

Can. 23: In dubio revocatio legis non praesumitur 67

Can. 24: De vi praecepti singulis dati 67

TITULUS II

D E C O N S U E T U D I N E

Praenotanda 70

Can. 25: De causa efficiente consuetudinis intra Ecclesiam. 73

Can. 26: Communitas capax consuetudinem ecclesiasticam inducendi 74

Can. 27: Contra ius divinum nulla consuetudo praevalere potest; utique, servatis servandis, contra ius ecclesiasticum 76

Can. 28: De modo inducendi consuetudinem praeter legem. 78

Can. 29: De consuetudine secundum legem 79

Can. 30: De cessatione consuetudinis per contrariam consuetudinem aut per legem . . . 80

Pag.

TITULUS III

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Praenotanda 82

Can. 31: Normae ad tempus supputandum, salvo iure liturgico. 82

Can. 32: Quid veniat in iure nomine diei, hebdomadae, mensis et anni 83

Can. 33: De modo supputandi horas diei, generatim, aut in nonnullis casibus; quid quoad tempus urgendi contractus . . . 84

De diversis modis supputandi tempus 84

Can. 34: Quid si menses et anni designentur proprio nomine vel aequivalenter. 87

Quid si non designatur terminus a quo 88

Quid si designatur terminus a quo 89

Can. 35: Quandonam tempus dicitur utile, quando continuum. 91

TITULUS IV

DE RESCRIPTIS

Praenotanda 93

Can. 36: Quinam rescribendi facultate polleant, quinam autem rescripta impetrare valeant 94

Can. 37: De rescripto pro alio, etiam praeter eius assensum impetrato 96

Pag.

Can. 38: De momento a quo rescriptum vim habet, prout concedatur in forma gratiosa, aut in forma commissoria 97

Can. 39: De conditionibus essentialibus rescriptis appositis 98

Can. 40: De clausula subaudienda 99

Can. 41: De tempore quo preces veritate niti debent, prout agatur de rescripto in forma gratiosa aut commissoria. 99

Can. 42: Quandonam subreptio aut obreptio rescripta vitiant, et quid si unam tantum partem afficiant. 100

Can. 43: De gratiis denegatis ab una Sacra Congreg. vel Officio Romanae Curiae. . . .102

Can. 44: De gratia a proprio Ordinario denegata; de gratia denegata ab Episcopo aut a Vic.Gen.. 105

Can. 45: De clausula Motu Proprio, relate ad subreptionem vel ad obreptionem . . . 107

Can. 46: De casibus in quibus rescriptum, licet clausula MOTU PROPRIO munitum non sustinetur, nisi clausula adsit derogatoria. 108

Can. 47: Quando rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua, loci aut rei 109

Can. 48: De praevalentia rescriptorum de una eademque re, inter se contrariorum 111

Can. 49: De modo rescripta intelligendi 115

Can. 50: In dubio, quaenam rescripta strictae subsint interpretationi, quaenam latae 115

Can. 51: Quando praesentari debeat Ordinario rescriptum S. Sedis in quo nullus datur exsecutor 118

Can. 52: Quandonam exsecutori praesentari debeant rescripta. 119

Can. 53: Momentum a quo exsecutor munere suo fungi potest 121

Can. 54: Quandonam exsecutor necessarius possit executionem rescripti denegare . . . 123
Quid de exsecutore libero 126

Can. 55 Quomodo procedere debeat quilibet exsecutor 126

Can. 56: De scripto executioni mandando rescriptum quod forum externum respicit. . . .128

Pag.

Can. 57: De substitutione sibi facienda a rescriptorum exsecutore 129
Can. 58: De exsecutione peragenda ab exsecutoris designati successore in munere vel officio 131
Can. 59: De iterum exsecutioni mandando rescriptum si exsecutor in exsecutione errave rit 132
De taxis solvendis pro exsecutione rescriptorum 132
Can. 60: De revocatione rescriptorum per peculiarem actum Superioris, aut per legem contrariam 134
Can. 61: De permanentia rescripti per vacationem S. Sedis aut dioecesis 136
De vi clausulae "ad beneplacitum nostrum" 137
Can. 62: De rescriptis quae continent privilegium aut dispensationem 139

TITULUS V

DE PRIVILEGIIS

Praenotanda 140
Can. 63: De diversis modis acquirendi privileg. 144
Can. 64: Quaenam privilegia impertita censeantur per communicationem, etiam in forma aeque principali 149
Can. 65: Quid de privilegiis acquisitis in forma accessoria aut aeque principali, si mutentur in principali privilegiario 150
Can. 66: Facultates habituales accensentur privilegiis praeter ius 150
Can. 67: De aestimando privilegium ex ipsius tenore 152
Can. 68: De interpretatione privilegii in dubio 153
Can. 69: Per se nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso 154
Can. 70: Privilegium censetur perpetuum 154
Can. 71: De modo cessandi privilegia in Codice contenta, aut extra ipsum vagantia . . 155
Can. 72: De cessatione privilegii per renuntiationem 156
Can. 73: Quandonam cessant privilegia resoluto iure concedentis 158
Can. 74: Privilegium personale, personam seq. 158

Pag.

Can. 75: De cessatione privilegii realis; de reviviscentia privilegii localis . . . 159
Can. 76: Quandonam cessant privilegia per non usum aut per usum contrarium 160
Can. 77: De cessatione privilegii quod noxium evasit, aut eius usus illicitus; elapso tempore aut expleto numero casuum. 161
Can. 78: Quid de illo qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa . . . . . .
Can. 79: De vi privilegii oretenus a S. Sede obtenti in foro externo 1

TITULUS VI

DE DISPENSATIONIBUS

Praenotanda . . . . . .
Can. 80: Dispensationis notio et auctor 171
Can. 81: Quandonam Ordinarii infra R. Pontificem dispensare a generalibus Ecclesiae legibus valeant 174
Can. 82: Ordinarii locorum relate ad dispensationem in legibus dioecesanis, Concilii provincialis, et quas R. Pontifex tulerit pro illo peculiari territorio 177
Can. 83: Parochi relate ad dispensationem . . . 178

Can. 84: De necessitate causae ad dispensationem concedendam; quid in dubio de sufficientia causae 179
Can. 85: De interpretatione adhibenda, tam relate ad dispensationem, quam relate ad dispensandi facultatem 182
Can. 86: De modis cessandi dispensatio quae tractum habet successivum 183

INDEX 186